WBP
Opole

WiMBP
Opole

I

36 st.

Kr 311/55 62 C

21

CALENDARIVM HISTORICVM CONSCRIPTVM A PAVLO EBERO KITTHINGENSI.

ET RECENS ANTE OBITVM AB EODEM recognitum plurimisq; locis auctum.

VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO,
ANNO M. D. LXXI.

ΕΙΣ ΗΜΕΡΟΛΟΓΕΙΟΝ

ΠΑΥΛΟΥ ΕΒΗΡΟΥ ΦΡΑΓΚΟΥ:

ΙΩΑΧΕΙΜΟΣ ΚΑΜΕΡΑΡΙΟΣ.

Πολλὰ μὲν ἐς ἄλλων χρονικῶν σωτάγματα βίβλων,
ἃς πόνῳ ἀρχαίων ἐκ τε δέδωκε νέων:
ὠκυδὴ δ' ὀδυνὸς ὀδεμὶν τοίησι' ἐτ' ἐφεύρη,
οἵη σὺν μελέῃσι συὶ ἦ ἦματ' ἄγλη.
ἀλλὰ τόδ' ἡμέτερῳ πάντ' ἐξεργάσατ' ἜΒΗΡΟΣ
Φραγκογλυφὴς, ΠΑΥΛΟΥ κύριον ἔνομ' ἔχων,
εὐ καταποικίλαστε Διρκαίλας θ' ἅμ' ἔκασε,
ἐμπλεκλεθηθσῶν χρώμασιν ἰσοφιλῶν
παντοίας δ' ἐπόδησε θεούσας ἐνθάδε πράξεις
ὄψη, ἐκ καιρῶν τάξιν ἀμφερομένων.
εὑρήσεις ἡδυεσιν τ' ἐνδόξων ἐκ μέρον ἀνδρῶν,
ἃς ὀπὶ τόνδ' ἤδη μοῖρα πεφῆγε βίον.
καὶ πρὸς τὸν χρῆσιν ἑ φέγγεῳ ἄπτ' ἐφύλαξαν
πρῶτα πάλ' ἐκ πάντων ἔθνε' εὕντα βροτῶν.
ἦ πᾶ τὶς τάχα δὴ τοῦτης βίβλοιο τυχήσας,
χρῆμα δέρα θησαυρὸ φέρτερον εὗρον, ἐρεῖ.
ἔτω γοῦν ἐρέει φίλος ἀνίδων τὶς ἑτυμῳ,
τῆς δ' εἰδὼς μεγάλλιν σὶ πατρὶ, πώλε, χάειν
ἀλλὰ σύτ' ἐρέω ἄμμι καὶ αὖθις πίον, ἑταῖρε,
ὑμὲ ἐκ μεσσῶν ἄλλο κέμιζε πόνων.

WBP

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO GEORGIO FRIDERICO, MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, Stetini & Pomeraniæ &c. Duci &c. Burggrauio Noribergensi, Domino suo clementissimo

S. D.

EGREGIVM ESSE DECVS EST, NATVM ESSE EX BONIS & præstantibus naturis, & propagari semina virtutum, & similes impetus, verè existimatur, vt ille inquit:

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Tamen alia quædam maiora sunt, parentum pietas, deinde eruditio, exempla, longa assuefactio nati & disciplinæ sanctitas.

Gratulor itaq; tibi non solum generis nobilitatem, in quo longo ordine præstantissimi Principes multi numerari possunt, FRIDERICVS, qui Elector in familia Burggrauiorum primus fuit, deinde ALBERTVS, quem nominant Germanicum Achillem, auus FRIDERICVS, & pater GEORGIVS, ac patruus ALBERTVS Dux Borussiæ, & alij multi: sed magis etiam hoc decus, quod pater Marchio GEORGIVS vera inuocatione Deum coluit, fouit Ecclesias, multis opem tulit, vt doctrinam filij Dei discerent. Cumq; in tota gubernatione iustus, beneficus, & moderatus esset, & in vita priuata castus: quotidie veris gemitibus & ardentibus votis sese, suam posteritatem, Ecclesiam, & patriam Deo commendabat, & suis monitis & exemplo populum ad veræ pietatis officia inuitabat. Et viuit adhuc mater, filia Henrici Ducis Saxoniæ, pudicitia, modestia, temperantia, & vera pietate excellens. Tales cum fuerint parentes, spero vicissim Deum benefacturum esse eorum posteritati, & illæ tuæ Ithacæ, in qua omnes tuum patrem dileximus non secus ac domesticos parentes, quia scriptum est: Gen erat-

neratione Rectorum benedicetur. Quam diuinam sententiam alicubi auditam Poeta his verbis recitauit: ἐυσεβέων παίδεσσι τὰ λόϊα δυσσεβέων δ' ὀυ.

Hæc igitur bona & gratulor tibi, & mea vota ad vniuersæ patriæ inuocationem adiungo, ac Deum æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ oro toto pectore, vt te seruet incolumem, & gubernet.

Iam hæc, quæ sequuntur, quanquàm diuinitus iuuantur, tamen aliqua ex parte consilio tuorum gubernatorum reguntur, & tuam diligentiam flagitant, videlicet vt doctrina cœlestis & literarum rectè tibi tradatur, & natura tua doctrinæ capax, & ad virtutem idonea recte assuefiat, & tu inchoata doctrinæ studia non abijcias, ac disciplinæ frenos patiaris. Qua in re spero equidem te propter naturæ tuæ moderationem, & propter domestica exempla, non defuturum esse bene monentibus.

Sed tamen, quia prodest iucunda varietate lectionis tenera ingenia excitare, hanc ad te lucubrationem mitto, continentem Anni & Mensium descriptiones, & multarum memorabilium historiarum annotationem, quarum rerum vel suauitas vel magnitudo discentes inuitat.

Ac initio præcipua mihi causa fuit instituendi hunc laborem vt his illecebris iuniores ad cognoscendam Anni & Mensium rationem, & ad considerandas spacia & metas cœlestium motuum accenderem. Nam gustatis dulcissimis initijs expetitur vberior cognitio. Et hæc prima elementa nescire, magna barbaries est, quæ quidem vt libentius inspicerent discentes, magnam veterum & recentium historiarum varietatem sparsi in omnes menses, quia cum læti aut tragici euentus magis moueant animos, auidius leguntur prælia & magnarum vrbium excidia, aut lætæ victoriæ, quam subtiles anni & mensium descriptiones. Atq; vtinam & hoc labore & hac assiduitate quotidiana, vniuersa possem & accendere & iuuare multorum in hoc genere studia.

Nec sola dulcedine huius doctrinæ moueor, vt & ipse eam valdè amem, & à multis coli velim: Sed voluntarem Dei & Ecclesiæ vtilitatem intueor. Vult Deus aspici hæc pulcherrima lumina Solem & Lunam, & eorum considerari circuitus, & cursuum metas,

tas, vult numerari circuitus, & nuncupari Annos & Menses, primum vt ordo testetur, hunc mundum non casu ex atomis conflatũ esse, sed à mente architectatrice sapientissima & optima conditũ esse. Deinde vt Angelis & generi humano temporum series nota esset, & retrò cogitari initia rerum, & deinde patefactionum diuinarum & aliarum maximarum rerum tempora possint. Vult sciri Deus, quæ prima fuerit doctrina, quando, quibus testibus, quo in loco subinde nouæ patefactiones editæ sint, quo tempore & quo in loco filium missurus fuerit, vt victima fieret. Et vt interualla insignia essent, imperiorum mutationibus ea quoq; distinxit. Vult nos iam, postquàm voce filij Dei & Apostolorum, Euangelium inter omnes gentes sparsum est, vigilantissimè considerare, quæ alia dogmata posi ea nata sint. Et multum temporis obseruatione adiuuamur. Cum Mahometi furores sciamus recentes esse, & pugnare cum Euangelio antè diuinitus confirmato, manifestum est, eos fugiendos & execrandos esse.

Esset omnino vniuersa vita hominum miserrima, si perpetuæ tenebræ essent, nec Sol nobis vices dierum & noctium efficeret, & interdiu lucẽ nobis adueheret. Hoc beneficiũ, quod oculis iudicari potest, magis agnoscunt homines. Alterum Solis beneficium, quod Annos distinguit, minus agnoscitur. Et tamen hæc distinctio si non esset, quantæ essent historiarum tenebræ? Sed hæc stulta hominum natura, multa Dei beneficia ne aspicit quidem, tantum abest, vt pro omnibus gratias agat.

Sed proponamus nobis vocem diuinam, scriptam in ipso vestibulo librorum Propheticorum: ERVNT IN SIGNA, MENSES, DIES ET ANNOS. Hoc oraculo moneri totum genus humanũ sciamus, vt discamus, quid nominet Annum, et agnoscamus hoc quoq; Dei beneficium, quod primis patribus hanc sapientiam ostendit, vt consideratis motibus Solis & Lunæ, Annorum & Mensium interualla & intelligerent, & alijs monstrarent. Et suo quisq; loco hæc beneficia conseruare studeamus.

Tibi itaq; omnipotens Deus, æterne & vnice Pater Domini nostri IESV CHRISTI, conditor cœli & terræ, & hominum & aliarum creaturarum, vnà cum Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, & Spiritu sancto gratias ago toto pectore, quod &

hanc pulcherrimam Machinam condidisti, & vitam, victum, lucem nobis largiris, & distinctionem temporum singulari arte ordinasti: teq; oro, vt semper inter nos tibi Eccles. colligas & lucē tuæ doctrinæ & aliarum artium, quæ Ecclesiæ vtiles sunt, non sinas extingui.

Etsi autem, quantum prosit nosse Annorum distinctionem & seriem, nemo satis exponere potest, tamen de vtilitate huius sapientiæ postea in hoc ipso libro plura dicam. Nec longa oratione hic opus esse arbitror, vt ostendā, necessariam hominib. esse memoriā rerum præcipuarum, quæ actæ sunt inde vsq; ab initio generis humani, patefactionum diuinarum, & maximarum mutationum in Imperijs.

Execranda impietas est, testimonia illustria de Deo, quæ recitantur in libris Propheticis & Apostolicis, non cognoscere, nec cōsiderare, quo tempore, quib. locis edita sit doctrina cœlestis, quomodo semper Ecclesia Dei collecta sit et distincta à cæteris gētib. quomodo seruata sit, quando & vbi filius Dei natus sit, quod doctrinæ genus tradiderit, quando & vbi factus sit victima, ac reuixerit, & quib. testimonijs hæc confirmata sint. Harum rerum omnium recordationem necessariam esse vniuersæ Ecclesiæ non dubium est. Et fit illustrior ac dulcior historia considerata temporum serie. Sed de his vtilitatibus postea quoq; dicetur.

Nunc te generosissime Princeps adhortor, vt & integram Ecclesiæ doctrinam discas, & adiungas historiarū lectionē. Hæc studia sint præcipua. Nā vox diuina de cognoscenda doctrina filij Dei inquit: & nunc Reges intelligite. Et nosse imperiorum ordinem & maturationes & earum causas, sapientia est præcipuè conueniens Principibus & heroico generi: Nam & Homerus Achillem narrat ad citharam cecinisse virorum fortium exempla & laudes. Hunc ipsum Achillem etiam doctrinam de motib. syderū didicisse, inde æstimari potest, quod in illo aureo clypeo ei cœlestium orbium imago fabricata est, & arte collocatæ stellæ, vt Arctoam regionē Vrsa, Orion Meridianam teneret. Itaq; hāc doctrinam te quoq; amare decet.

Intuere domestica exempla. Pater vir optimus quotidiè ardentissimæ inuocationi adiungebat lectionem vel doctrinæ cœlestis, vel historiarum. Et familia vestra non solum militiæ & armorum, sed etiam eloquentiæ laude diu clarissima fuit.

Audio Principem optimum Ducem Saxoniæ IOHANNEM Electorem recitare solitum historiam de patruo tuo magno, Marchione

one IOHANNE ELECTORE, quam ideo adscribā, quia fortassis nusquam literis mandata est, cùm narratio sit dignissima memoria.

Cùm duo præstantissimi eius temporis Reges MATTHIAS Hungaricus, & CASIMIRVS Polonicus, ingentes exercitus in Silesiam duxissent, ac vterq; occupare regnum Bohemicū conaretur, Electores Germanici intelligentes, quantum viciniæ periculum futurum esset, si duo illi potentissimi Reges iam ingressi Germaniam bellum ibi gererent: exercitum subitò contrahunt ex ea Germaniæ parte, quæ & numero & robore Equitū antecellit, sex millia Equitum, ac ad Reges Vratislauiā accedunt, orant vt sinant rem componi, & pacis conditiones æquas proponunt, quæ ne cōtemnerentur, affirmabant se adiuncturos esse suas copias illi, qui adsentiretur, aduersus alterum, vt, sicut olim dicebatur, ἅμα κηρυκείῳ δόρκ ostenderent. Ita pax facta est. Eius causæ orator publice in Regum & Principum consessu fuit Marchio IOHANNES, adeoq; laudata est oratio, vt sapientes iudicarent, quanquàm in illo cœtu multi essent ingenijs, vsu, & eloquentia excellentes, tamen neminē fuisse hanc tantam causam tàm splendidè dicturū. Ita tunc & Electorum cōsilio ac virtute, & eloquentia huius tui Patrui magni Germania pacata est.

Hæc ornamenta familiæ tuæ, vt tuearis, naturæ bona, doctrina et disciplina excuscitanda & confirmanda sunt. Magna moles, magnum onus est hominum gubernatio, nec sine auxilio diuino sustineri potest. Sed tamen vt in naui remigum diligentiam non deesse ventis & vigilantiæ gubernatoris oportet, ita sit in Principib. cura petendi auxilij diuini & labores necessarios obeundi, quam ad rem multarum virtutum copulatione opus est, inter quas primæ sunt: vera Dei agnitio, timor Dei, fides, studium iuuandæ Ecclesiæ, ad cuius salutem necessaria est & literarum possessio. Quare hanc quoq; tibi tuendam & ornandam esse statues.

Cùm autem ceritssimum sit salutaria imperia, Dei beneficia esse, oro Deum æternum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt te, & patriam, & Ecclesias in patria, seruet, protegat ac gubernet. Bene & fœliciter vale. Datæ Viteber. postridie Cal. Maij, qui dies natalis fuit Illustrissimo Principi FRIDERICO Marchioni Brandeburgensi auo tuo. Anno 1550.

Paulus Eberus Kitzingensis.

INSIGNIA REVEREN-
DI VIRI D. D. PAV-
LI EBERI.

Quæ Dea? Religio. Quid nam duo lumina? Verbum.
Qui Murus? Angelici sunt gregis excubiæ.

PAVLO EBERO IO.
HANNES STIGELIVS
S. D.

HAnc tibi STIGELIVS muscoso mittit ab Ilmo,
Candide Pegasei fontis EBERE decus,
Hinc, vbi sepositis pacato è pectore curis,
Libera per campos ocia ruris agit:
Ocia secessum fessis præbentia Musis
Rustica: Sed veris non inimica bonis.
Obuia nam picti lustrans miracula campi,
Naturæ intueor dum parientis opus:
Aut mihi planta suis numen demonstrat ab herbis,
Præsentemq; refert vna vel herba Deum.
Aut operis series autorem tota recenset,
Qui facit, & læto cuncta vigore fouet.
Emicat ex ipsis diuina potentia terris,
Et leuis est cespes qui probat esse Deum.
Quin segetes animæ decus immortale loquuntur,
Quæ viuum exangui corpore germen agunt.
Sicca sub inuersas conduntur semina glebas,
In quibus effectus dixeris esse nihil.
Hæc tamen arcano surgunt crescentia motu,
Et robur tacitis viribus aucta gerunt.
Sic quoq; nostra cauis illata cadauera tumbis,
Accipiunt viuum glorificata decus.
Mersa prius letho, mox vera insignia vita,
Ante Deum æternæ tempora lucis agent.

Hæc ego populea meditor dum fusus in vmbra,
Et mihi blandisonis accinit Ilmus aquis:
Redditur à nostro mihi littera missa Philippo,
Redditur & digitis carta notata tuis.
Vtraq; docta tui memorans monumenta laboris,
De fastis affert nuncia læta tuis.

Ingemui primùm, læto mihi carmine ceptum
Hoc opus, effectum non habuisse suum:
Mox lætata tuo mihi mens erecta labore,
Addidit auspicijs candida vota tuis.
I fœlix liber, & dextra prognate Minerua,
Conspicias genij tempora longa tui.
Namq; nihil dubito de te, doctissime Paule,
Lecta sit hic veris quin tibi Gaza bonis.
Hoc facit ingenium, facit hoc prudentia rerum,
Qua titulum multis clarior vnus habes.
Quicquid habent Graiæ, quicquid monumenta Latinæ
Historiæ, hoc docto pectore Paule tenes.
Adde quod è sacris quædam præstantia rebus,
Extant ingenio publica facta tuo:
Quæ memorant priscæ reges & prælia gentis,
Quæ tenet à sceptro nomen Iuda tuo.
Ergo quod assignas eum gestis tempora rebus,
Et vitæ studijs vtile pandis opus:
Grata tuum memori nomen seruabit in æuo
Fama, sub extremis non moritura rogis.

Agnoscant vtinam, quos talia nosse decebat,
E fastis ingens prouenit vtilitas.
Cedite, naturæ nullus quos afficit ordo,
Degeneres, ipsi turba odiosa Deo.
Hoc quoq; diuini monumentum insigne fauoris,
Quo sibi nos curæ comprobat esse Deus.
Dispositum pinxit mirandis æthera flammis,
Quas sua diuerso tramite norma vehit.
Non modo vitales vt Sol pater afferat auras,
Matris agit certas humida Luna vices.
In rebus moueant arcanos sydera fluxus,
Siue ea fixa suum, seu vaga nomen habent:
Verum etiam certas monstrent vt temporis horas,
Et spacia humanis vsibus apta ferant.

Vnde petat notas sua per vestigia metas,
Et rediens certis mensibus annus eat.
Hoc primi obseruans Heroica temporis ætas,
Immensum vitæ comperit esse decus.
Tunc quoq; iactata uel cùm veheretur in arca
Noha, vel ablutam cùm renouaret humum,
Credibile est natis monstrantem sydera cœli,
Orta sub Armenijs astra notasse iugis.
Sæpè notans ortam sub vernum Pleiada mensem,
Hæc Zephyro, dixit, lapsa, sequente pluet.
Sæpè Canis tolerans sub rastris grandibus æstum,
Hæc ait, est nostris addita pœna malis.
Nec varias tantùm subiecta in corpora vires,
Apta sed ad quoduis tempora norat opus.
Currentem obliquo cognorat tramite Solem,
Ducere per certos tempora lapsa gradus.
Palantemq; vago scrutatus lumine Lunam,
Compererat spacijs congrua puncta suis.
Hinc simul annorum metis, numeroq; reperto,
Doctus ab antiquis gesta tenebat auis.
Vtq; sedens patulæ frigente sub arboris vmbra,
Dictabat soboli dogmata sancta suæ,
Arboreo motum monstrans in cortice Lunæ,
Et Solis geminum significabat iter.
Temporis à primo seriem numerabat Adamo,
Sciret vt historias casta iuuenta suas.
O ingens donum, nulla enarrabile lingua,
Quodq; Deo laudes asserit arte suas.
Qualis enim, & quantis mersa ignorantia monstris,
Quanta lues vitæ cœcutientis erat?
Certa nisi ætatum nossent discrimina gentes,
Nulla vetustatis si monumenta forent?
Tempora cum rebus, nisi mens humana teneret,
Consilijsq; modum temporis ordo daret:
Nec dispersa decus diuini Ecclesia cultus,
Publica nec sociam res retineret opem.

Barbaries mores, ſanctas laſciuia leges,
Saluificam premeret vita prophana fidem.
Nam quia cum ſpreto pugnant hæc ſecula Chriſto,
Quid facerent, ſi non tempora nota forent?
Huc animos orbi dominantes vertite Reges,
Hoc opus à veſtro munere poſcit opem.
Cur cæco mundum cupitis lacerare furore?
Et geritis dubia mutua bella vice?
Quin cœlum inſpicite, & finem perpendite vitæ,
Principis eſt virtus maxima, noſſe Deum.
Noſſe Deum doctrina docet, ſed promouet illam
Temporis & rerum non dubitata fides.
Cura ſit enormis rectè emendetur vt annus.
Hæc quoq; munifico functio grata Deo eſt.

Quando igitur viua celebrari voce merentur,
Huc operam memori qui pietate ferunt:
Colligis è priſcis quòd idonea tempora taſtis,
Quòd cœlum & cœlo tempora lapſa notas:
Paule tibi referet meritas Eccleſia grates,
Hac etiam ſpeculum quæ videt arte ſuum.
Paule, tibi referet meritas Reſpublica grates,
Cui ſuus hoc ſtudio vindice conſtat honos.
Geſta ſuos recolens expendit lector ad annos,
Et mundi hiſtoriam parua tabella refert.
Ille etiam aſtrorum lapſus obſeruat & ortus.
Quæ varias anno dantq; negantq; vices:
Coſmicus Eois cum Sole aſcendit ab vndis,
Coſmicus Heſperijs mane notatur aquis.
Emicat Heliacè ſydus, Sol quando recedit,
Heliacè admoto ſydera Sole, latent.
Tollitur Acronycho ſub veſpere ſydus in ortu,
Poſt Solem Acronychus ſydera caſus agit.
Et cœli mores & fluxum ſydera monſtrant,
Temporaq; ad metas cuncta redacta ſuas.

Nam ſiue Eoo cum Sole ſub axe leuantur,
Siue ſub occiduo cardine lapſa cadunt,
Solis ab infuſo blandè ſtimulata vigore,
Exercent vires, officiumq; ſuum.
Adde quòd eſt cœli ſummis vis inſita templis,
Naturam tacito quæ ratione ciet.
Ergo vbi nocturno rorantem Pleiada lapſu
Arduus ad veris tempora cardo tenet,
Obſeruans timidus pendentem ruſticus imbrem,
Sit bonus hic teneris frugibus humor, ait.
Humida natiuum tunc temperat aura calorem,
Concipit & læto terra ſoluta ſinu.
Addunt ſe ſocios venti rorantibus alis,
Qui longa madidi flant ab Atlantis aqua.
Inde aer liquidos paſsim molleſcit in imbres,
Laxaq; reſpirans arua recludit ager.
Occidit Eous Maia comitatus Orion,
Et fata cœleſti condita ſpargit aqua.
Tunc bene triticeæ conduntur ſemina meſsis,
Cùm bibulas implet frigidus humor aquas.
Afflat anhelantem maturis frugibus æſtum,
Preſſa licet ventis mollibus, orta Canis.
Tunc Cererem campis lectam ſitientibus æſtas
Condit, & aggeſtas area tundit opes.
Terga ſequens Aquilam cœlo leuat aſpera Delphin,
Halcyonis ſobolem dum maris vnda tenet.
Tunc exanguis hyems prægnantem frigore terram
Claudit, vt internus molliat arua calor.
Cynthius auſtrino radijs à cardine fractis,
Luce breuem ſpargit debiliore diem.
Hæc natura ipſi debet diſcrimina cœlo,
Quod certis vicibus corpora quæq; mouet.
Cætera temporibus poſita interualla, perenni
Vnde dies motu, Menſis & Annus eunt.
Non minus ex ipſis cognoſci noueris aſtris,
Splendida ſeu veniant, ſeu tenebroſa cadant.

Commoda si referam, quæ temporis efficit ordo,
Vndisoni fluctus enumerabo freti.
Præcipuè officium res gestas scire volenti,
Historiæ custos temporis ordo facit.
Atq; ingens decus est, & lux pulcerrima vitæ,
Ad certos veterum gesta notare dies.
Hinc morum species, vitæq; illustris imago,
Hinc vicia, hinc virtus, quo memorentur, habent.
Certa fidem facient fastorum exempla tuorum
Paule, per historias tu quoq; digne cani.

Damna suæ immeritus sustentat SCIPIO laudis,
Qui domuit Lybicæ regna superba plagæ,
Immemores audent illum accusare Tribuni,
Debita cui meriti gloria summa fuit.
" Obuia res odijs, quanquàm liberrima virtus,
" Et benè qui meruit præmia rarus habet.
" Inuidia premitur, quem nulla infamia taxat,
" Et cui iura fauent, vis inimica nocet.
Et iam prodierant variæ certamina famæ,
Iudiciumq; vagæ mobile plebis erat.
Iamq; coronatur falsa grauitate tribunal,
Dicta dies aderat, fictaq; culpa reo.
Ancipites ardens tenet expectatio mentes,
Orbis & argutum complet in vrbe forum.
Vt leo magnanimus, canis insignis & annis,
Impauido astantes aspicit ore feras:
Sic animum ostendit vultus grauitate professus
Mente vir, augusta Scipio fronte, senex.
Dumq; reum expectant crudelia rostra fatentem,
Non expectato sic ait ille sono:
Hæc est illa dies, hæc lux memoranda, Quirites,
Qua mihi pro patria res benè gesta fuit.
Qua mihi succubuit proiectis Hannibal armis,
Qua fœlix Tyria victor in arce steti.

Quin

Quin igitur sacris humiles aduoluimur aris,
Soluimus & meritis debita vota Dijs?
Ipse petam supplex Tarpeij limina templi,
Muneris & grates debitor huius agam.
Commoda cui res est Pietas, comitetur euntem,
Templa Dei insano sint potiora foro.
Dixerat: inuadit trepidam reuerentia plebem,
Et populo in toto vox fuit vna: probo.
Nec mora consensu iunctos firmante fauores,
Progressum sequitur plurima pompa ducem.
Luxq; viro multò fuit hæc celebratior illa,
Qua victo rediens dona Syphace tulit.
Optime fastorum, fortissime Scipio, custos,
Quàm tibi lux fœlix ista notata fuit?
Sic decet inuidiam vulgi superare furentis,
Nulla sibi rectè conscius arma timet.
Pascere liuor iners odio, saturare furore,
Mors tua, recta Deum facta colentis erunt.

Talibus exemplis clarorum facta virorum,
Qui leget è fastis Paule diserte tuis,
Gaudebit rerum thesauro, atq; indice doctus,
Iam totum intenta mente notabit opus.
Heroum capiet mirantem illustris imago,
Et persona suum proferet ampla decus.
Iste fuit, dicet, veræ virtutis alumnus,
Quàm malè ab antiquis degeneramus auis?
Subdola damnabit versuti facta Lysandri,
Sinceri celebrans omne Cimonis opus.
Sumet ab exemplis, vitæ quod poscit honestas,
Quod rerum ad patriæ postulat vsus opem:
Strabit Aristides sumtis iustissimus armis,
Consilio pariter militiaq; potens.
Quiq; Asiam Europæ medijs venatus in vndis,
Persica laudato reppulit arma dolo.

Quicq; hostem reprimens accepto vulnere victor,
Militiæ pulcra præmia morte tulit.
Sed recitare omnes Heroum ex orgine formas,
Non erat inceptum temporis huius opus.
Ardua sic picti discernens sydera cœli,
Multa videt simili non reputanda modo.
Omnia continui tamen approbat ordine cursus,
Vtilecq; ex toto corpore censet opus.
Ergo tuo partum nomen tibi Paule labore,
Obtinet à longa posteritate decus.
Et iam fata tuis adspirant mollia cartis,
Sentit & æternos pagina viua dies.
Adñciunt Musæ lætæ frondentia lauro
Serta, Aganippæi fonte rigata iugi.
It comes adspirans animam, sensumcq; libello,
AEtatum Genius semina longa trahens.

Quando erit aura meos, vt cernat libera, Fastos?
Quàm miserè hos pressæ contegit vmbra specus?
Amisere suam patriæ cum lumine lucem,
Quando oculum amsit patria mœsta suum.
Vtcq; iacet partus catulorum informis, & ipsum
Formidans, nescit sustinuisse diem:
Sic meus iste labor cæca sub mole laborat,
Dum mihi præfixo lumine meta caret.
Sed redeat patriæ decus & sua gratia Musis,
Et poterit Fastis vita redire meis.
Cumcq; tuis forsan Naso mea scripta legentur,
Dum mundi inclinat fessa senecta caput.
Sed nunc, Paule tui fœlici sydere fasti,
Docta sub æterno flore per ora volent.
Tempore quo iuncti cœlestis munere vitæ,
Præsentem electi stabimus ante Deum,
Diuinos dulci fastos sermone canemus,
Interea hoc vitæ sustineamus onus.

FINIS.

Calenda-

CALENDARIVM ROMANVM VETVS, QVOD ROMAE LEGITVR IN MARMORIBVS IN DOMO VALlarum Circi Flaminij, & in hortulo Colotij, campi Martij.

MENSIS IANVAR.	MENSIS FEBRV.
Dies XXXI.	*Dies XXVIII.*
Non. Quint.	*Non. Quint.*
Dies hor. VIIII. s.	*Dies hor. X s.*
Nox hor. XIIII s.	*Nox hor. XIII s.*
Sol Capricorno.	*Sol Aquario.*
Tutela Iunonis.	*Tutela Neptuni.*
Palus	*Segetes fariuntur.*
Aquitur.	*Vinearum*
Salix	*Superfic.*
Harundo	*Colit.*
Cæditur.	*Harundines*
Sacrificant	*Incendunt.*
DiIs	*Lupercalia*
Penatibus	*Parentalia*
	Cara cognator.
	Terminalia.

MENSIS MARTIVS.

Dies XXXI.	*Pedamina*

Non. Septiman.
Dies hor. XII.
Nox hor. XII.
Æquinoctium
VIII. Cal. Apr.
Sol piscibus.
Tutela Mineruæ
Vineæ.

in pastino
putantur.
Trimenstr. seritur.
Isidis nauigium.
Sacr. Mamurso
Libera Quinqua
tria. Lauatio.

MENSIS APRIL. MENSIS MAIVS.

Dies XXX.
Non. Quintan.
Dies hor. XIIIIS.
Nox hor. XS.
Sol Ariete.
Tutela
Veneris.
Oues
lustrantur.
Sacrum
Phanæ
Item
Sarapiæ

Dies XXXI.
Non. Septim.
Dies hor. XIIIIIS.
Nox hor. VIIIIIS.
Sol Tauro.
Tutela Apollinis.
Segetes runcant.
Oues tondent.
Lana lauatur.
Iuuenci domantur. (Vallensis lapis habet, iniant)
Vicea pabular.
Secatur.
Segetes

lustrantur.

lustrantur.
Sacr. Mercurij
& Floræ.

MENSIS IVNIVS.

Dies XXX.
Non. Quint.
Dies hor. XV.
Nox hor. VIIII.
Solis institium
VIII. Kal. Iul.
Sol Geminis.
Tutela

Mercurij.
Fænisicium.
Vineæ
occantur.
Sacrum
Herculi
Fortis
Fortunæ.

MENSIS IVLIVS. MENSIS AVGVS.

Dies XXXI.
Nonæ
Septiman.
Dies

Horarum XIIIIS.
Nox hor.
VIIIIS.

Dies XXXI.
Non. Quint.
Dies hor. XIIIS.
Nox hor. XS.
Sol Leone.
Tutela Cereris.
Palus paratur
Messes

Sol

Sol Cancro.
Tutela
Iouis.
Messes
Hordiar.
Et fabar.
Apollinar.
Neptunalia.

Frumentar.
itnm
Triticar.
Stupulæ
incenduntur.
Sacrum Spei
Saluti
Deanæ.
Volcano.

MENSIS SEPTEMBER.

Dies XXX.
Non. Quint.
Dies hor. XII.
Nox hor. XII.
Æquinoctium
VIII. *Kal. Octo.*
Sol Virgine.
Tutela
Volcani

Dolea
picantur.
Poma
leguntur.
Arborum
oblaquiatio.
Epulum
Mineruæ.

MENSIS OCTOB.

Dies XXXI.
Nonæ
Septiman.
Dies

MENSIS NOVEMB.

Dies XXX.
Non. Quint.
Dies hor. VIIIIS.
Nox hor. XIIIIS.

Hor. XS.
Nox
Hor. XIIIS.
Sol
Libra.
Tutela
Martis
Vindemiæ.
Sacrum
Libero.

Sol
Scorpione.
Tutela
Deanæ.
Sementes
Triticariæ
& Hordiar.
Scrobatio
arborum.
Iouis
Epulum
Heuresis.

MENSIS DECEMBER.

Dies XXXI.
Non. Quint.
Dies hor. VIIII.
Nox hor. XV.
Sol Sagitt.
Tutela Vestæ.
Hyemis initium
Siue tropæ

Chimerinæ.
Vineas sterc.
Faba serentes.
Materias
deicientes.
Oliua legent.
Item venant.
Saturnalia.

DE VTILITATIBVS CALENDARII.

OMNIBVS AETATIBVS VVLgo Fasti propositi sunt, qui non tantùm anni & mensium descriptionem accuratam continuerunt, sumptam à motibus luminum, sed etiam historias quasdam insignium liberationum certis mensium diebus adscriptas habuerunt, vt populo talium beneficiorum Dei memoria quotannis eorundem dierum recursu renouaretur. Sic Adam, cùm breuiter suis posteris exponere potuisset, vniuersam mundi machinam, & res omnes, non simul, aut eodem momento, sed ordine quodam & successione à Deo creatas esse: etiam dierum mentionem addidit, quibus operum varietatem distinguere voluit ideo quoq; vt suos posteros admoneret, vt quoties in eadem septimana dies ijdem recurrerent, mirandæ creationis Dei recordarentur, & pro singulis operibus, quæ illo die absoluta esse legerent, Deo opifici gratias agerent, cùm intelligerent, omnia illa solius hominis causa esse elaborata: Die verò Sabbati omnium beneficiorum Dei memoriam simul complecterentur, & serio inuocarent ac celebrarent Deum, ac cogitantes quietem septimi diei, scirent restare aliam vitam post hanc vitam corporalem, quæ esset futura perpetua quies, in æterna cum Deo conditore consuetudine.

Sic Noha potuisset historiam diluuij suis posteris eo ordine descriptam post se relinquere, vt sine mentione certorum dierum diceret, se integrum annum intra arcam inclusum, & in medijs aquarum fluctibus, & ventorum procellis diu iactatum, vix tandem subsistente in montibus & quiescente arca, iussu Dei ex illo diuturno & tristi carcere egressum fuisse. Sed accuratissimam addit

addit mensium & dierum enumerationem, recensens, quo die mensis sit arcam ingressus, quo die imbres ruere cœperint, quo die arca sublata vndarum impetu primùm fluctuarit, quo die sint diminutæ aquæ, quo die arca subsiterit, quo die ipse eductus ex illis claustris, Deo sacrificarit σωτήρια, & signum acceperit diuinæ misericordiæ & gratiæ, Arcum cœlestem.

Hanc tàm scrupulosam dierum annotationem, cur existimemus à Patriarcha vsurpatam fuisse, nisi quòd voluerit primum illud horrendum exemplum iræ diuinæ aduersus contemtores verbi et contumaces peccatores: deinde etiam dulcissimum ingentis clementiæ et misericordiæ Dei exemplum suis posteris semper in conspectu esse, vt quoties illi dies voluentibus annis redirent, sibi & horribiles pœnas impij mundi, & rursus conseruationem ac liberationem mirandam pusillæ Ecclesiæ in memoriam reuocarent, & in timore Dei viuentes, pro illa summa clementia Deo gratias agerent & in suis omnibus ærumnis similem præsentiam Dei & opem peterent, & certa fide constanter expectarent.

Moises quoq; defensionem populi in AEgypto aduersus crudelissimum Tyrannum, & eductionem tantæ multitudinis ex tristissima seruitute, patefactionem item legis diuinæ in deserto, & quasdam alias mirandas liberationes populi, certorum dierum adiecta mentione ad posteritatem transmisit. Qui ideo quoq;, quòd hominum tanta est negligentia & ingratitudo, vt mox solearit obliuisci summorum beneficiorum Dei, iussus est, constitutis certis festis, cogere multitudinem, vt harum liberationum memoriam quotannis recoleret.

Quin & Ethnicorum fasti non tantùm habuerunt signatas festiuitates solennes, quæ tamen ipsæ quoq; ad conseruandam memoriam certorum beneficiorum Dei institutæ fuerunt: sed etiam proposuerunt alios quosdam insignes euentus, quorum cogitatione annua iudicarunt sapientes homines imperitam & obliuiosam multitudinem de magnis rebus vtiliter moneri posse. Sic cernimus in fastis Ouidianis, & antiquo Romano Calenda-

rio, quod ad nos peruenit, ſtatis feſtis populi Romani, etiam hiſtorias quaſdam memorabiles aſperſas eſſe, quas voluerunt Pontifices annua repetitione ad omnem poſteritatem tranſmitti.

Hunc vtiliſsimum morem antiquiſsimorum patrum, Eccleſia, quæ per Apoſtolos collecta fuit, imitata, haud dubie monitu Apoſtolorum, quotannis certis diebus celebrat memoriam concepti, nati, crucifixi, reſuſcitati, & recepti in cœlum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & aliorum quorundam factorum, ſumtorum ex eadem hiſtoria, quorum perpetuam in Eccleſia memoriam extare nō prodeſt ſolùm, ſed etiam eſt neceſſarium, fitq; aliquorum talium factorum recordatio illis ipſis diebus menſium, quibus olim ea eueniſſe creduntur. Quæ conſuetudo Eccleſiæ, etſi ab aliquibus profanis hominibus, vt ſuperſtitioſa & inutilis interdum contemnitur, (vt inueniuntur nonnunquam aliqui, quibus omnes antiquitatis ritus improbantur) tamen animi liberales à primis annis aſſuefieri debent, vt antiquitatis pia inuenta, quæ cum verbo Dei congruunt, & exemplis antiquiſsimorum patrum comprobantur, amare diſcant, & non temerè conuellere audeant.

Cùm igitur conſtet ex his exemplis ſummorum Patriarcharum, narrationi rerum geſtarum in Eccleſia ideo potiſsimum dies alicubi adiectos fuiſſe, vt illis recurrentibus quotannis admoniti poſteri, & pœnas ſceleratorum atroces, & liberationes Eccleſiæ mirandas, ſubinde animo attentius conſiderarent: Et eam ob cauſam Eccleſiam quoq; videamus certos dies inſignium rerum ex hiſtoria Chriſti, faſtis ſuis adſcripſiſſe, vt omnibus pijs ſimilem diligentiam commendaret & iniungeret: Decet nos quoq; Patrū ſancto conſilio obtemperantes, & Eccleſiæ Apoſtolicæ pium exemplum imitantes, eādem diligentiam præſtare in vniuerſa lectione Biblica, vt vbicunq; certum diem facto alicui mirando adſcriptum cernimus, turpe ducamus nobis, illum ita prætercurrere, quaſi fruſtra eius mentio à ſcriptore facta ſit, et non ſtatim eum annotare, & meminiſſe in hunc ipſum vſum, vt quotannis reuertente eodem die admoniti, Dei potentiam & bonitatem, cùm in puniendis tyrannis & perſecutoribus piorum, tùm in liberanda &

da & defendenda Eccleſia, animo grato celebremus & prædicemus.

Quoties legimus à Deo per Moiſen præcipi Iudeis, vt mirandas ipſius liberationes crebra repetitione filijs ſuis inculcent? Et quidem dicit textus nominatim, ideò feſta inſtituta eſſe, vt ſi interrogent poſteri, quid ſibi ritus illi feſtorum velint, edoceri poſsint de ipſis beneficijs Dei, huic populo præſtitis. Quo præcepto Deus & poſteros iubet quærere de ſignificatione rituum, ac cauſa inſtituti feſti: & parentes cogit, vt ſi omnino ipſi velint eſſe tam ſceleratè ingrati & obliuioſi, vt per ſe non repetant illis ipſis feſtis diebus magnitudinem diuinorum beneficiorum, ſaltem filiorum ſuorum percontationi neceſſariò ſatisfacientes, ſimul ipſi quoq; eorundem operum Dei recordentur.

Hoc præceptum etiam ad nos pertinere exiſtimemus, qui in Eccleſia Chriſti viuimus, & non illorum tantùm beneficiorum, quæ populo Iſraëlitico Deus peculiariter præſtitit, iure adoptionis participes facti ſumus, ſed etiam ex immenſa Dei miſericordia, cùm alieni eſſemus à populo ipſius, alia quoq; infinita Dei dona in Chriſto conſequuti ſumus, quorum memoriam nos perpetua gratitudine celebrare, multò iuſtius eſt, quàm Iudæos liberationem iu diluuio, aut eductionem ex AEgypto, aut patefactionem legis celebrare quotannis oportebat.

Hoc autem vt aptius fieri poſsit, decet vnumquemq; ſuum quoddam eiuſmodi hiſtoricum habere Calendarium, in quo legens ſcripta Prophetica & Apoſtolica ſibi annotet dies & tempora, quibus inuenit geſtas res in Eccleſia, dignas memoria, vt illud poſtea intuens quotidie, de illis Dei operibus & beneficijs commoneſiat.

Hæc ratio quandam quaſi nobis neceſsitatem imponit, vt huiuſmodi Catalogum inſignum euentuum nobis ipſi conficiamus, ſi modò volumus cum eo fructu in lectione ſacrorum librorum verſari, qui à pijs præcipuè expeti debet, videlicet, vt non ſemel illa, quæ de beneficijs Dei Eccleſiæ exhibitis noſtra cauſa ſcripta ſunt, vtcunq; cognouiſſe, ſatis eſſe credamus: ſed eorum memo-

riam ita confirmemus & exuſcitemus, vt in nobis timor Dei, fiducia promiſſæ opis, imploratio & expectatio certæ liberationis, patientia, & alij pij motus ſubinde accendantur.

Sed ad hanc quaſi neceſsitatem accedunt etiam vtilitates quædam, nequaquam contemnendæ, quòd dum temporum diſcrimina, atq; adeò dies ipſos, quatenus fieri poteſt, diligenter in ſacris hiſtorijs inquirimus, fit, vt res ipſas, quæ ibi proponuntur, rectius intelligamus, & earum magnitudine magis afficiamur. Habent enim hoc peculiare Loci, Temporis, & aliæ circumſtantiæ, vt in omni hiſtoriarum lectione rebus adhibitæ, eas illuſtrent, & animos inſigniter permoueant. Nam, vt rectè dixit Horatius:

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus:

Ita omnino experimur omnes, etiam inſignibus factis nude recitatis, ſine deſcriptione temporis, locorum, & aliarum circumſtantiarum, minus nos affici, neq; ita altè ſedere animis noſtris ea ipſa, quæ vel lecta vel audita ſunt, ita negligenter propoſita.

Sed cùm ſimul loca monſtrantur, vbi facta illa exhibita dicuntur, & tempus anni, atq; adeo dies ipſe Menſis nominatur, quo res geſtæ creduntur: non tum nos audire illarum recitationem putamus, ſed pictas nobis res monſtrari, vel potius ipſas præſentes oculis noſtris ſubijci exiſtimamus. Tantum lumen ipſis factis commemoratio circumſtãtiarum affert, præterquam quòd multo etiam efficacius animos auditorum ferit, cuius rei vnum hoc ſumamus ex Bibliis exemplum:

Si ſimpliciter narrari audias: populum Iſraeliticum poſt mortem Moiſis, à Ioſua abductum ad Iordanem, vt terram promiſſam tandem occuparet, trajicere flumen non potuiſſe, donec eius curſus diuina potentia inhibitus, præbuerit tutum tranſitum toti multitudini per ſicca vada: Videbitur id quidem tibi miraculoſum, & ſingulare opus Dei fuiſſe, ſed tanta eius admiratione non capiet, quanta debebat & poterat, obſeruatis circumſtantijs.

Primùm

Primum enim aliquid lucis narrationi accedet, ſi admonearis, illa parte regionis Iſraelitas per Iordanem tranſiuiſſe, vbi is vicinus oppido florentiſsimo tum Hiericho, non procul inde in mare Mortuum influit, auctus prius plurimis torrentibus, & fluminibus alijs, quæ in ipſum ſuos alueos exonerant. Quare neceſſe eſt ibi fluuium multò fuiſſe latiorem & profundiorem, quàm in locis, quæ ſunt viciniora eius fontibus.

Et cùm tranſeundus eſſet fluuius tantus, iuxta oppidum ampliſsimum & munitiſsimum Hiericho, ſitum in optimè culta valle, & frequentiſsimè habitata, terreri poterant Iſraelitæ, et metuere, ne tranſgreſsi vada, ex altera ripa fluuij ab incolis eius loci occurrentibus arcerentur, ac repellerentur, aut ſaltem tam diu impedirentur, donec in immenſam altitudinem ſuperius collecta & coaceruata aqua Iordanis, cum impetu irruens, ſubitò omnes intra ripas comprehenſos extingueret.

Ita loci deſcriptio magnitudinem miraculi & diuinæ bonitatis magis cõſpicuam reddit. Sed etiam inſignior hic locus fit, cùm ea adduntur, quæ ibidem diu pòſt geſta ſunt. Nam in vlteriore ripa illa Iordanis verſus deſertum, poſtea extructum caſtellum dictum eſt Bethabara, hoc eſt, domus tranſitus, ſeu traiectionis, fortaſsis orta appellatione loci ab hac ipſa populi Iſraelitici miraculoſa traductione, quo loco Iohannes Meſsiæ præcurſor baptizauit tùm alios, tùm Chriſtum etiam ipſum, quem haud dubiè ſignificauit arca fœderis, quam in illo tranſitu populi geſtantes ſacerdotes, dum ſteterunt in medio Iordane, aqua ſuperior fluminis procul collecta, delabi & nocere Hebræis non potuit. Ita Chriſtus victor mortis & diaboli, hoc ipſo in loco baptizari voluit, quo arca illa fœderis ſteterat, & ſæpe poſtea circa hæc eadem loca verſatus eſt, etiam paulò ante paſsionem ſuam, vt patet ex decimo capite Iohannis, vt ſignificaret, ſe ſimili modo traductorum eſſe ſuam Eccleſiam per mediam mortem, & ingentes huius vitæ ærumnas, in terram promiſſam, hoc eſt, in vitam æternam.

Rurſus ſi eiuſdem mirandi tranſitus per Iordanem, alteram quoq; circumſtantiam, Tempus videlicet, conſideres, videbis

adhuc clarius potentiam & bonitatem Dei hac etiam circumstantia illustrari. Legimus enim populū traductum esse primo mense anni Hebraici, qui, vt infra dicetur, nostro Aprili tunc fere respondebat, quod erat messis initium, quo tempore Iordanis solitus fuit quotannis ita pleno alueo fluere, vt ambas ripas non impleret solùm, sed etiam egrederetur, Quod ipsum videtur singulare Dei beneficium fuisse, qui hac exundatione Iordanis ceu muro & vallo quotannis munire voluit illa loca fertilissima, continentia singularem illum & nobilissimum Balsami hortum, alioqui verò propter ipsam fertilitatem obnoxia latrunculorum vicinorum incursionibus, ne incolæ loci illius occupati demetendis & importandis frugibus, inermes, tempore messis subitò in agris opprimerentur à vicinis grassatoribus, Arabibus, Moabitis & alijs.

Sed hunc ipsum ante hoc tempus inuictum murum, Iordanum videlicet, plenissimo alueo fluentem & exundantem, Deus suo populo tunc peruium fecit, ita vt stante & accumulata in immensam molem aqua superius versus fontem, & reliqua inferiore aqua defluente in lacum Asphaltiten, Hebræi siccis pedibus transire possent. At quanta multitudo? Textus diserte inquit, à Moise & fratre iterum numerato populo iam accessuro ad Iordanem, inuenta esse sexcenta & vnum millia virorum excedentium vicesimum ætatis annum. Iam cogita cœtum mulierum, impuberum, mancipiorum, aduenarum, qui se Israelitis exeuntibus coniunxerant, & præterea ingentia armenta iumentorum. Hæc tanta multitudo cum tot ac tantis impedimentis, non potuit subitò per vadum fluminis transcurrere, sed haud dubiè intercesit mora multarum horarum, vel potius totius diei, donec innumerabilis hæc multitudo omnis traduci potuit, quo toto tempore tamen semper moles illa aquarum in sublimi diuinitus sustentata stetit, ne defluueret, quamdiu arca fœderis in medio vado Iordanis consistebat:

Ita temporis quoq; consideratio magnitudinem miraculi huius plurimum auget.

Sed si diem etiam audias nominari, quo populus Iordanis vadum

vadum transiuit, multò efficacius te factum ipsum propter temporis rationem mouebit. Nam si decimo die mensis Aprilis, incidas in huiusmodi historicum Calendarium, inueniasq; ibi adscriptum: Hoc die primi mensis Hebræorum, populum Israeliticum per plenum & exundantem tum Iordanem, sine nauibus incolumem traductum esse: Ibi mentione diei commonefactus, quasi in rem præsentem te duci existimabis, & magnitudinem periculi & miraculi altius perpendes, & cogitatione te ipsum illi ingenti multitudini quasi immiscebis, teq; examinabis in hunc modum interrogans: Quo tu fuisses animo in tanto discrimine, si in tanta turba hominum & iumentorum, per medium vadum saxis asperum, incessisses, & iumentis aut humeris tuis impositos paruulos gestasses, alios grandiusculos manu prehensos tecum raptasses: Coniugem vestigia tua pone legentem, & aut grauidam ægreq; incendentem conqueri, aut sub pondere, recens editi infantis ingemiscere audiuisses: deniq; omnes tuos vidisses consternatione pallentes & trepidantes, ac de fine periculosæ & asperæ viæ subinde sciscitantes? Nonne pro his solicitus, crebrò aduersus flumen ad illam terribilem molem coaceruatæ in immensam altitudinem aquæ, semper ruinam minantis, oculos coniecisses, & subinde explorasses, num adhuc loco suo erecta aqua consistat? Nonne oculis anxiè interuallum vlterioris ripæ fuisses dimensus & perlustrasses omnia loca oppositа, num quis hostilis exercitus ex vicino oppido Hiericho, aut aliunde ad ripam infestis armis occurreret? Nonne deniq; omnem præcedentium incessum & tuorum etiam comitum gradum, vt nimis tardum in tanto periculo increpasses, & moram castigasses? Deinde vbi cum tota multitudine, & cum tua familia incolumis, in alteram ripam emersisses, & postea vidisses, arca ex medio fluminis vado in tutum locum reportata, omnem illam pendentem prius ad modum altissimæ rupis aquam subitò collapsam cum impetu irruere, & non modò totum alueum, sed etiam loca vicina latè implere, & obuia quæq; sternere: nonne Dei immensam bonitatē effusissimo cordis gaudio, claraq; voce prædicasses? tuosq; liberos ad easdem partes lætitiæ & gratiarum actionis crebris monitis vocasses? & hunc diem omnibus annis vitæ totius diligen-

ter obseruari, & celebrari grata memoria ob tam insignem liberationem sæpius iussisses?

Hæc & alia multa tibi venient in mentem, hanc populi liberationem consideranti eo ipso die anni, quo facta esse scribitur. Quia ipsa temporis ratio te quasi in societatem huius transitus perducit, multoq; magis afficit, quàm si sine diei mentione obiter aut legeres, aut audires illam mirandam historiam.

Magis etiam delectaberis, vbi cognosces, quòd Christus, vt suo populo hoc ipsum miraculum antiquum in memoriam reuocaret, eodem die decimo mensis primi, ab hoc ipso loco Iordanis ante paucos dies profectus, in vrbem Hierosolymam cum pompa regia est inuectus, vt se agnum ad Paschatis instans festū, mactandum pro genere humano patri sisteret, et suum transitum per Iordanem, hoc est, passionem suam inchoaret, qua nobis postea transituris, flumen immensæ altitudinis & rapiditatis peruium fecit, hoc est, mortem ac diabolum vicit, sicut arca fœderis, vbi primum à sacerdotibus intra ripam vnam Iordanis perlata fuit, mox flumen diuisum est, ita vt aquæ partim in mare mortuum defluerent partim contra naturam suam procul in celsissimi montis altitudinem collectæ subsisterent, ac populo transitum tutum & facilem præberent.

Ex hoc vnico exemplo puto satis conspici posse, quantum lucis accipiant historiæ, quantoq; vehementius moueant animos, si loci & temporis hoc modo illis addatur consideratio.

Propter hanc igitur causam etiam, vt res gestæ melius intelligantur, & magis legentium animos afficiant, prodest habere paratum Calendarium, in quo eiusmodi insignium euentuum dies annotes, & factum ipsum breuiter memoriæ causa adscribas.

Hanc præcipuè ob causam videbar mihi non prorsus inutiliter facturus, si pueris formam talis Calendarij proponerem, & adiectis aliquot exemplis insignium factorum, modum ostenderem, quem in annotandis talibus historijs sequi possint. Alij peritiores, qui per se hoc idem fecissent melius, etiam non admoniti, (sicut res est vt nullius admodum ingenij, ita laboris non ita magni) nec tamen id adhuc conati sunt, hoc exemplo nostro fortasis

tasis mouebuntur, vt tale calendarium, vel artificiosius aliquod sibi ipsi describere maturent. Quod si facient, experientur profectò, sibi illam operam non male collocatam fuisse, & suæ diligentiæ aliquem fructum cum voluptate coniunctum reportabunt.

Etsi autem hæc Calendarij descriptio præcipuè instituí debet propter lectionem Biblicarum historiarum, vt dies ipsi nos subinde de insignibus Dei operibus, quæ Ecclesiæ exhibita esse ibi legimus & annotauimus, commonefaciant, & pios in nobis motus excitent, quod sine superstitione vlla fieri posse & debere sani omnes fatebuntur: tamen etiam alios vsus præbere nobis semel confectum tale Calendarium potest, quorum ratio negligi non debet ab eo, qui aliarum quoq; gentium historias cum sacris coniungendas esse censebit, quod quidem diligenter facere non modò vtile est, sed etiam necessarium. Multa enim sunt in Propheticis scriptis posterioribus, inprimis autem in Apostolicis narrationibus, quæ sine cognitione Græcarum & Romanarum historiarum neq; intelligi, neq; explicari possunt.

Deinde etsi sacris scriptis præcipuè creditur propter Deum, authorem illius verbi, et propter testimonium Ecclesiæ: tamen nō leuiter etiam confirmantur animi piorum, vt firmius assentiantur sacris historijs, cùm vident in aliarum gentium historijs alicubi eadem facta copiosius narrari, quæ in Biblijs breuiter perstringuntur, alicubi euentus illos prolixè exponi, qui longè antea Prophetarum vaticinijs sunt prædicti, & nusquam tamen in sacris libris plenè commemorantur.

Sed nimis longum esset, & alienum ab hoc instituto, omnes hic causas enumerare, quare etiam Ethnicarum historiarum lectionem cum Biblijs coniungi prosit & oporteat, cùm id à nemine sano sit in controuersiam vocatum, & ipsa series Historiarum, quæ extant, testetur diuinitus ita factum esse, vt illa potissimum monumenta Historicorum conseruarentur in Ecclesia, quæ inde initium rerum describēdarum sumunt, vbi sacra historia desinit, & iuxta temporum seriem res ordine primùm à Græcis, postea à Latinis, ad nostram vsq; memoriam descriptas continent.

Hoc cùm ita esse constet, erit hic alius Calendarij, quod proponimus, vsus non vulgaris, quòd licebit & conducet in eodem annotare dies, quibus insignes clades, aut victoriæ aliarum Gentium extra Ecclesiam accidisse leguntur, quæ diligentia etsi friuola videri aliquibus potest, tamen non mihi, sed alijs peritioribus velim à iunioribus hoc credi, magnas eius studij etiam vtilitates posse recensèri.

Nam ad morum gubernationem non mediocriter conducit, subinde intueri in antiquitate euentus insignes, qui aut totis rebuspublicis, aut earum gubernatoribus, aliquando ipsorum culpa, aliquando fortunæ inconstantia, acciderunt. Prodest considerare, ex quàm tenuibus initijs maxima imperia aliquando sint exorta, & vicissim, quàm leuibus occasionibus florentissimæ Respublicæ aliquando de summo potentiæ gradu sint deiectæ. Harũ mutationum si causæ etiam & occasiones simul considerantur, fieri non potest, quin in animis liberaliter institutis existat cogitatio de fragilitate rerum humanarum, de prouidentia, & iusticia Dei, punientis atrocia scelera publicis & priuatis calamitatibus, & ornantis singularibus successibus eos, qui virtute & alijs donis præditi, ea bona ad iuuandam societatem hominum contulerunt.

Hanc considerationem moribus prodesse non est dubium, quos flectere ad moderationem potest crebra cogitatio, intuens tristissimos exitus eorum, qui per ambitionem, pertinaciam, πολυπραγμοσύνλω, auaritiam, æmulationem, vanam persuasionem potentiæ & fœlicitatis, sibi & suis ciuitatibus ingentes ærumnas attraxerunt.

Solitæ fuerunt antiqua consuetudine ciuitates in Græcia (quas Romani sunt imitati) in locis frequentissimis vrbium, statuas collocare ijs, qui insigni virtute, aut decore aliquo patriam suam ornassent, aut præclaro et vtili inuento præsidij aliquid cõmuni societati hominum attulissent, eaq; in re non tàm gratitudinis rationem habuerunt, vt optimè de Republica meritis viris, hæc ceu præmia tantarum virtutum & meritorum post mortem redderent: quàm voluerunt sapientissimi homines illis monumentis posteros commonefacere, vt quoties prætereuntes intuerentur

erentur horum virorum effictas ære aut marmore imagines, toties ingentium illarum virtutum, quibus illi hæc præmia meruerant, recordarentur, & illorum exemplo ad similium rerum & virtutum studium incitarentur. Et quidem hæc monumenta virtutum magnã vim ad extimulandas heroicas naturas habere, Themistoclis & Iulij Cæsaris exempla testantur, quorum alter, sibi nocte quietem non concedere, dixit, trophæum à Miltiade in campo Marathonio fixum, Alter verò, cùm Quæstor cum imperio in Hispaniam profectus Gades venisset, animaduersa apud Herculis templum magni Alexandri imagine, ingemuit, pertæsus ignauiam suam, quòd nihil tùm à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset.

Quantò autem maiorem vim excitandi liberales naturas ad studium virtutum habere putabimus hæc monumenta veterum Historiarum, quàm illas statuas, quæ præter lineamenta oris, & figuram corporis nihil ostendere spectatoribus potuerunt? cùm hæc Calendaria & res ipsas gestas à claris Viris animo subijciant, & temporis descriptionem addant, quod nobis totum negocium quasi præsens depingit.

Quare & hæc Calendarij huius vtilitas magnifacienda est à pueris, quòd moribus etiam prodesse poterit, talis diligentia annotandi insignes euentus ex historijs aliarum gentium, quæ quidem etiam melius intelliguntur, & acrius animos mouent, considerata simul temporis ratione, vt supra dictum est de sacris historijs.

Eodem & hoc pertinet, quòd licebit & proderit Calendario inscribere dies natales præstantium virorum, quorum eruditio, sapientia, virtus, industria, Ecclesiæ, Reipublicæ, aut rei literariæ insigniter profuit. Decet enim nos eorum memoriam tueri, & certis diebus admonitos, totam eorum vitam, & omnia merita, quæ nobis constant, animo reuoluere, vt Deo gratias agamus, qui Ecclesiæ aut politijs tales viros dederit, per quos doctrina cœlestis illustraretur, imperia collapsa restituerentur, aut artium studia denuò accenderentur. Hæc summorum virorum memoria celebrata ipsorum diebus natalibus, etiam moribus prodesse

potest excitato in liberalibus naturis amore similium virtutum, & studio imitationis.

Contrà non erit sine vtilitate, etiam Tyrannorum aliquorum & persecutorum Ecclesiæ diem natalem & interitum annotare, vt cùm illorum tristes exitus legimus, vicia ipsa odisse, & iram Dei aduersus peccata exhorrescere adsuescamus, & confirmemur de prouidentia, & iusto iudicio ac bonitate Dei, qui etsi aliquandiu Tyrannos grassari in pios sinit, tamen Ecclesiam illorum sæuicia oppressam tandem clementer liberat.

Præterea vtile erit in hoc Calendario etiam festa, non Iudæorum tantùm, sed & Athenienſium, & Romanorum annotare, in hunc vsum, vt historiæ melius intelligantur, cognito tempore rerum gestarum, quod interdum à scriptoribus solet indicari sola mentione festi alicuius in illa gente, quod si annotatum habueris in tuo Calendario, mox licebit tibi etiam partem anni inuenire, qua negotium gestum est. Vt cum Plutarchus dicit: Thebas Bœotias ab Alexandro magno funditus euersas esse circa tempus Mysteriorum: Calendarium ostendit illa celebrari consueuisse Athenis vicesimo die mensis Boedromionis, qui vt plurimum respondet Romanorum mensi Augusto. Talia multa loca occurrunt in scriptorib. Græcis & Latinis, quibus tempus significatur nominato festo aliquo, quod si alicubi in Calendario adscriptum habebis, etiam sententiam scriptorum plenius assequeris.

Idem dici potest de ortibus & occasibus aliquot stellarum fixarum, quibus ipsis quoq; veteres in descriptione certi temporis vsi sunt, non aliter quàm nos mentione alicuius sancti, vt Michaelis, Martini aut similis, diem mensis certum indicare solemus. Proderit igitur illos quoq; ortus & occasus veteres, quatenus res patitur, annotatos in Calendario habere, vt tempus sciri possit, quod per ortum Stellæ aut occasum à vetutissimis fuit designatum. Cuius consuetudinis hæc fortasis aliqua causa fuit, quòd scriptores, qui sua monumenta in plurium populorum manus peruentura esse credebant aut sperabant, cùm mensium appellationibus, aut festorum mentione, quæ singulis fermè ciuitatibus erant

erant peculiaria & diuersa, certas anni partes semper indicare ita commodè non possent, delegerunt Stellas aliquot insignes, quarum ortus & occasus, vulgi etiam oculis conspicui & oberuatu faciles, in præcipuarum mutationum anni initia caderent, vt ijs nominatis, statim certa pars anni intelligeretur.

Ad eam rem censuerunt idoneas ex infinita multitudine stellarum cœlo inhærentium, has ferè: Pleiades, quarum ortus matutinus æstatem, Occasus matutinus hyemẽ inchoare credebatur: Canem, cuius ortus matutinus medium æstatis, & intensissimum æstum afferebat: Arcturum, cuius ortus matutinus autumni initium & vindemiæ tempus nunciabat: Ita maiorem partem anni, quæ continet tempus maximè idoneum, non tantùm rebus nascentibus ex terra, sed peregrinationibus etiam, expeditionibus bellicis, & alijs rebus gerendis, discernebant antiquissimi harum fermè stellarum ortibus & occasibus apparentibus manè aut vesperi. Postea secuti alij addiderunt plurium stellarum obseruationes, aliaq; genera ortuum, nõ tantùm vt illis tempora distinguerent, sed etiam vt tempestatum causas quodammodo præmonstrarent, vt constat ex Plinij 18. lib. & Columel. xi. & ex Ouidij sex fastorum libris.

Sed poterunt studiosi adolescentes, hanc antiquitatis diligentiam imitantes, & iam dictarum, & aliarum plurium stellarum, quæ insignes in aere efficiunt alterationes, ortus & occasus Cosmicos & Achronychos, vt vocantur accuratè, numeratos, suo Calendario inserere, ita vt congruant & cum situ, quem habent stellæ hac nostra ætate, & cum loci eius Horizonte, in quo quis se mansurum aliquandiu sperat.

Cuius rei vt exemplum iunioribus proponerem, aliquarum Stellarum ortus & occasus cum Sole, congruentes ad eleuationem poli Vuitebergensem, quæ 8. ferè minutis abest ab integris gradib. quinquaginta duobus, certis diebus adscripsi. Vsus sum autem Stellarum locis emendatis iuxta Copernici obseruationes, qua in re adiutus sum à viro doctissimo M. Erasmo Reinholdo Saluelden̄si, Mathematũ Professore publico in hac Academia, qui inter alias vtiles lucubrationes, quas inchoauerat, constituerat etiam tabulam edere, continentem ortus & occasus insignium stel-

larum, ad varia poli ἐξάρματα, sed morte immatura præuentus opus illud absoluere non potuit.

Sed hic monere adolescentes volui, cùm legent in hoc libello ortus & occasus matutinos aut vespertinos, vt illos tantùm intelligant, quos vulgo in scholis vocant Cosmicos & Achronychos, non Heliacos. Ortum enim matutinum vocabimus Stellæ ascensum supra Horizontem cum Sole, quem Ptolemæus σωσιγενὴς ἑῴαν ἀληθινὴν appellat. Ortum verò vespertinum, Stellæ ascensum supra Horizontem, qui fit Sole occidente, à qui Ptolemæo dicitur σωσιγενὴς ἑσπερία ἀληθινή.

Rursus per occasum matutinum intelligi volumus Stellæ descensum infra Horizontem tunc, cùm Sol oritur, quem Ptolemæus nominat συγκατάδυσιν ἑῴαν ἀληθινήν.

Per occasum verò vespertinum, Stellæ descensum infra Horizontem, cum Sole occidente, qui apud Ptolemæum est συγκατάδυσις ἑσπερία ἀληθινή. Hos aũt ortus & occasus ideò potissimum sumsimus, quod experientia constat, Stellas simul vel ascendentes vel descendentes cũ Sole aut ex opposito, miranda & occulta vi naturæ excitari, & stimulari quasi vt efficacius tempestates mutent. Proderit igitur nonnihil hæc ortuum annotatio ad iudicium de tempestatibus, quas tamen non ab hac sola causa pendere eruditi omnes sciunt.

Reliqua est vna adhuc vtilitas, propter quam tale Calendarium institui in primis conuenit. Nam cùm vnicuiq; in vita multa accidant insperata atq; improuisa, partim læta, partim tristia, in quibus Dei certiss. præsentiam omnes attenti experiuntur: valde prodest pueros à primis statim annis assuefieri ad hanc diligentiam, vt tempora illorum beneficiorum Dei diligenter obseruent & annotent, ac vel hoc saltem modo illi deplorandæ securitati & obliuioni medeantur, quæ solet etiam bonis alioqui hominibus obrepere, ita vt paulò post, quàm vel ex periculo aliquo atroci erepti, vel commodo aliquo insperato diuinitus aucti sunt, omnem illorum bonorum memoriam alijs cogitationibus excuti sibi aut obrui patiantur.

Huic

Huic negligentiæ & affectatæ obliuioni omnibus vĩs occurrendum est, cùm flagitiosa sit, & indigna pĩs animis, quos omnia Dei opera in conspectu habere, & perpetua gratitudine celebrare decet, non ideò tantùm, vt Deum autorem tantorum bonorum & liberationum, debito honore gratitudinis colant, sed etiam vt se ipsos subinde exuscitent, in rebus secundis quidem ad timorem Dei & ad modestiam, ne per imprudentiam, aut aliam culpam suam calamitates sibi accersant similes illis, ex quibus se aliquando diuinitus extractos esse recordantur: In aduersis verò rebus, ad implorationem & expectationem diuinæ opis ac liberationis, quam antea quoq; in rebus fortasse magis intricatis & desperatis sunt experti.

Quare dabunt operam ingenui pueri, vt & illos dies diligenter in suo Calendario adscribant, quibus se aut in magno vitæ discrimine, à primis infantiæ annis diuinitus seruatos à parentibus suis audierunt, aut aliquo insperato bono cumulatos esse meminerunt: & inprimis eum diem diligenter ex parentibus scisciteritur & notent, quo sunt ex vtero materno in hanc lucem producti. Nam cùm hic dies nobis memoriam summorum beneficiorum Dei in animum reuocet, summo studio est obseruandus, & grata ac pia lætitia quotannis celebrandus.

Eo enim die ex tristibus tenebris materni vteri, tanquam ex duro carcere, in hanc amplam sedem, perfusam cœlesti luce, sumus extracti, & in illo transitu difficilimo, & dura tractione tenerrimorum membrorum, non humana ope, sed Dei solius præsentia seruati.

Eo die matres nostræ à perpetuo languore, quem vterus affert, leuatæ & fœliciter eluctatæ sunt per acerbissimos dolores partus, qui nonnunquam enitentes matres vnà cum infantibus miserabiliter extinguunt, & post partum fœlicem vterq; parens magna de nobis solicitudine & metu liberatus, nos recens editos vlnis suis, osculis & pijs votis, lætus excepit, & omni animi cura ac studio complexus est.

Eo die cùm nati essemus in reatu iræ Dei, & æterni exitij

parentum pia sedulitas detulit nos primùm precibus ardentibus ad ipsum Deum. Deinde etiam ad ministerium ipsius, vbi Ceremonia Baptismi à Christo instituta inserti Ecclesię, & Spiritus sancti efficacia regenerati sumus, & consecuti remissionem peccatorum, facti sumus filij Dei, socij & hæredes æterni regni, æternæ iusticiæ & vitæ. Ita eodem die simul in hanc vitam temporalem ingressi sumus, & alteram duraturam in æternitatem inchoauimus.

Quare æquissimum est, nos horum beneficiorum memoriam, cùm aliàs sæpè, tùm præcipuè die natali nostro renouare, & Deo ardenti pectore gratias agere, non modò pro illius diei beneficijs, verùm etiam pro reliqua infinita eius bonitate, qua nos ab illo die egressus nostri ex vtero materno, ad præsentem vsq; horam benignè defendit, aluit, docuit, prouexit, & conseruauit. Decet etiam nos eodem die Deum orare, vt reliquum vitæ nostræ curriculum clementer regat nosq; adiuuet, vt possimus esse σκεύη ἐλέους salutaria nobis ipsis & Ecclesiæ, ac in tanta nostra imbecillitate tueatur & sustentet nos ad alterum vsq; transitum, quo rursus ex hac vita, tanquàm ex aluo materna, & tristissimo carcere, in sinum & complexum Dei, & æternam lucem ac vitam educemur: Et petere, vt sicut nobis in primo exitu nostro ex matris vtero, ceu sedula & salutaris obstetrix adfuit: ita alterius quoq; egressus nostri ex hac vita difficultatem & pericula, sua præsentia & auxilio clementer mitiget & gubernet.

Sed nimis diu fortassis detineo hac longa commemoratione vtilitatum eos, qui ipsam Calendarij formam sibi proponi expetunt, quas tamen ideò recensere volui, vt imperitioribus hanc diligentiam obseruandi & annotandi insignes euentus ex historijs omnium gentium, aliquantulum commendarem, quam si vsurpabunt, plures etiam iam dictis vtilitates inde consequentur.

Sed vt hæ ipsæ, quæ hactenus prolixius sunt enumeratæ, in conspectu sint pueris, breuiter eas tanquam in tabella hic subijciam,

subijciam, vt sciant, quæ inter legendum obseruare debeant.

In Calendario, quod proponitur, inscribantur ante omnia:

Dies ex sacris historijs obseruati, quibus aliquid insigne gestum in Ecclesia legitur.

Deinde proderit eodem referre ex aliarum quoq; gentium historijs, antiquis & recentioribus, dies insignium mutationum publicarum.

Proderit etiam notare dies, quibus præstantes viri nati & extincti sunt.

Festa item gentium, vbicunq; leguntur, vtiliter adscribuntur diebus, quibus olim celebrata sunt.

Sic & ortuum & occasuum certorum dies notandi sunt, vel qui olim partem anni certam indicabant, vel hac ætate insignes aeris mutationes efficiunt.

Postremò vnusquisq; suum & suorum domesticorum diem natalem, & alios dies, insignitos aliquibus in vita casibus, Calendario cum fructu inscribet.

Hæc vt commodius fieri possint, formam ipsam Calendarij nunc tandem proponam, in qua nihil est aut artis, aut difficultatis, nisi quòd menses diuersarum gentium aptè coniungendi sunt, siquidem ciusmodi Calendarium habere volumus, quod non solùm Biblicarum, sed etiam aliarum historiarum lectioni seruire debeat, qua vna in re mediocri iudicio & diligentia est opus.

Vt autem iuuentus causas intelligat, cur certarum gentium menses hic vsurpem, neglectis reliquis, & quid secutus sim in cõnectendis illis mensibus, paucis rationem facti mei reddendam duxi prius, quam anni & mensium distributionem exponam, vt tutius & securius adolescentes hac Calendarij forma vti queant, quam non propono tanquàm perfectissimam, sed communico cum alijs tanq; eiusmodi, quæ mihi quidẽ visa est minus incommoda, qui libenter etiam & cum studio gratitudinis amplectar meliorem formam, quandocunq; eam nobis alij impertient.

DE DISSIMILI RATIONE ANNORVM APVD diuersas Gentes.

Primùm igitur, quia nos vtimur descriptione anni & mensium, longè omnium, quæ fuerũt, commodissima & facilima (quod quidem ad ciuiles & vulgares vsus attinet) quæ ad Solis cursum accommodata, & à Caio Iulio Cæsare instituta, ad nos vsq; perpetuo vsu transmissa est: Ad hunc Iulianum annum accommodandi erunt menses aliarum gentium, vt hac nostra ætate aliquo modo intelligi queat, qua parte anni res gesta sit, quæ ab antiquis rerum scriptoribus commemoratur.

Non autem hic talis aliqua certitudo requiri aut expectari debet, quasi ita possint menses diuersarum gentium concinnari, vt dies diebus certò congruant. Nam id fieri nullo modo posse, omnes intelligunt, qui mediocriter sciunt discrimina annorum, quibus differentibus populi in diuersis locis sunt vsi. Nam alij in constitutione annui spacij tantùm motus Lunaris rationem habuerunt, vt Arabes, componentes annum suum ex duodecim mensibus lunaribus illis, quos synodicos nominamus, quorum sex continebant, tricenos dies, reliqui sex vndetricenos, Et hos menses cauos, illos autem plenos appellarunt, habuitq; annus dies trecentos quinquaginta quatuor perpetuo, nisi quòd triginta annis accedebant vndecim dies, collecti ex minutis quadraginta quatuor, quæ restant de mensibus synodicis supra 29. dies, & 12. horas, Quæ minuta in annis tricenis duodecies collecta, efficiunt præcisè vndecim dies, addendos ideò, vt nouilunia exactè ad mensium initia congruant.

Cæterùm, hoc est huius anni incommodum, quòd singuli menses transcurrunt per omnes anni partes, spacio triginta trium fermè annorum, ita vt non sint aliqui certi menses æstiui aut hyberni.

Aliæ gentes neglecto Lunæ menstruo motu, annuum spacium definierunt Solis per totum Zodiacum circuitum, quod spacium,

cium, cùm contineat trecentos sexaginta quinq; dies, & quadrantem ferè, diuiserunt in duodecim partes, quas similiter menses vocarunt, non habita tamen ratione nouæ Lunæ Hoc anno Solari vsi sunt AEgyptij, & Persæ, Et postea C. Iulius Cæsar imitatione AEgyptiorum, suum quoq; annum ad motum Solis instituit.

Sed hic prodest obseruare discrimen: AEgyptij duodecim menses efficiebant ex diebus semper triginta, qui duodecies collecti, constituunt summam dierum trecentorum sexaginta. Reliquos quinq; dies quotannis fini vltimi mensis, quem χοιάκ nominant annectebant, vt annus quilibet expleret trecentos sexaginta quinq; dies. Sed quadrantem diei, qui abundat supra dies illos, prorsus negligebant, neq; vllam intercalationem aliam admittebant. Quo fiebat, vt primi dies mensium retrò ascenderent, hac lege, vt quinto quoq; anno primus dies primi mensis, quem AEgyptij Θώθ appellabant, in præcedentem diem transmigraret, quod fieri necesse erat, propter omissum diem intercalarem, ex quatuor quadrantibus collectum. Scribit autem Censorinus: Anno vrbis octingentesimo nonagesimo primo, qui fuerit annus secundus Olympiadis vicesimæ nonæ supra ducentesimam, primum diem mensis Θώθ respondisse vicesimo diei nostri Iulij. Rursus, post annos centum, hoc est, anno vrbis nongentesimo nonagesimo primo, qui fuerit annus secundus Olympiadis ducentesimæ quinquagesimæ quartæ, eundem primum diem mensis Θώθ, congruisse cum vicesimo quinto die Iunij nostri. Reciprocauit igitur illis centum annis primus dies mensis Θώθ per viginti quinq; dies, à vicesimo Iulij in vicesimum quintum Iunij. Continent autem centum anni totidem Olympiades seu lustra, quot sunt dies illius anticipationis. Ergo singulis Olympiadibus, initia mensium AEgyptiorum transeunt in proximum diem præcedentem mensis Iuliani. Ex quibus manifestum est, primum diem mensis Θώθ, & cæteros omnes apud AEgyptios, similiter vt apud Arabes, sed multò longiore interuallo, per omnes dies & menses totius anni Iuliani vagari solere, annis videlicet quater trecentis sexaginta quinq;, hoc est, 1460. quo tempore AEgyptijs accedit vnus annus collectus ex omissis

365. Olympiadum diebus, intercalaribus. Et hoc tempus complectens annos AEgyptios 1461. vocabatur annus magnus κωνικός, hoc est, Canicularis, propterea quòd initium illius sumebatur tunc, cum ortus Sirij, & primus dies mensis Θώθ congruebant. Scribit autem Censorinus, Canem ortum esse AEgyptijs vicesimo die Quintilis, etsi Plinius dicat aliquoties, 24. diebus post solstitium, Canis exortum fieri.

Sed Iulius, vt hanc vagationem mensium, errantium per omnes anni partes, euitaret, & fixos menses suis ciuibus propter festorum celebrationem proponeret, quorum quædam necesse erat celebrare, aut florentibus segetibus & vineis, aut proximè ante messem, aut post messem, aut ante & post vindemiam: dies trecentos sexaginta quinq; in duodecim menses inæqualiter distribuit, vt tùm sacrorum ratio permisit aut postulauit, & constituit, vt pro quadrante diei, quinto quoq; anno dies vnus Februario insereretur, quæ ratio id præstitit, vt ad hãc ætatem vsq; eosdem, qui tunc fuerunt, habeamus menses vernos, æstiuos, autumnales, & hybernos, ac, quod plus est, etiam æquinoctiales & solstitiales, quæ sanè magna est commoditas.

Aliæ gentes simul & Lunæ motus & Solis in Zodiaco rationem habuerunt, & vsæ sunt mensibus lunaribus duodecim, cauis & plenis, vt de Arabibus dictum est, inæquali dierum numero, ex quibus cùm tantùm trecenti quinquaginta quatuor dies colligerentur, vt tamen curriculum Solis annuum expleretur, vnde cim dies necessario addiderunt, quos Epactas vocarunt, & reseruarunt tamdiu, donec ex ijs vnus mensis constitueretur, quem postea fini illius anni inserebant, qui propter additum decimumtertium mensem, continebat dies trecentos octoginta quatuor, & vocabatur ἐμβολιμαῖος, sicut ipse mensis ἐμβόλιμος appellabatur. Hic mensis insertus efficiebat, vt initium primi mensis denuo congrueret cum suo termino, hoc est, cum æquinoctio vel solstitio, à quo propter omissos per vndecim dies, transierat principium mensis vel anni in alia tempora.

Sed quia etiam quadrantes diei, hoc est, sex horæ, quas Sol trecentis sexaginta quinq; diebus quotannis addit, omittebantur,

tur, propter quem defectum accidebat, vt nouilunia cum primis dieb. mensium non congruerent, fuit opus altera intercalatione, qua quinto quoq; anno vnus dies reliquis trecentis quinquaginta quatuor inserebatur, vt nunc solet fieri ad explendum annum solarem, vt maneãt æquinoctia & solstitia in ijsdem quasi vestigijs. Ita illi hunc diem collectum ex quatuor quadrantibus diei, quinto quoq; anno vltimo mensi inserebant, vt nouilunia in primos dies semper incurrerent.

Hoc genere annorum antiquissimi patres etiam ante diluuium (quod ex historia Nohæ colligi potest) deinde ipsorum posteri, Iudæi semper vsi sunt, vnde eadẽ anni ratio propagata est per vicinas gentes ad Græcos quoq;, à quib. eã Romani mutuati diu vsurparunt, donec vt nimis operosam, & malicia pontificum corruptam & conturbatam, neglecta diutius, vt intempestiuè vsurpata intercalatione, Iulius Cæsar correxit, & mutauit in hanc anni formam, quæ in hodiernum vsq; diem durat.

Inchoarunt autem Ebræi annum suum ab æquinoctio verno, sicut Athenienses à solstitio æstiuo, Romani à bruma, ea ratione, vt nouilunium, quod proximum esset his terminis, initium primi mensis anni afferret. Sed illa tot dierum omissio duobus plerunq; annis facta initia mensium procul vltra suos consuetos terminos abstrahebat, ita vt fixi & certi esse menses non possent, in tali anno, coagmentato ex Lunæ & Solis periodis. Vt exempli causa, si initium primi mensis, seu primum nouilunium Ebræorũ aliquo anno fuisset in die æquinoctiali, qui fuit olim vicesimus quintus Martij: anno proximo, propter omissos vndecim dies, cedebat in decimum quartum, & sequenti anno, propter omissos alteros vndecim dies in tertium diem Martij ascendebat. Tertio anno, etsi ex ter collectis vndecim diebus mensis vnus, constans ex triginta diebus, intercalabatur, tamen reseruati tres dies efficiebant, vt adhuc triduo ante æquinoctium primus mensis anni inchoaretur, nec rediret ad suum terminum, ante octauum annum.

Propter hanc instabilitatem fieri non potest, vt menses Ebræorum & Græcorum ita aptentur ad menses Iuliani anni,

qui fixi sunt, vt dies diebus præcisè respondeant. Contentos igitur nos esse decet, si vtcunq; menses mensibus ita congruant, vt aliquo modo æstimare liceat, quod tempus anni illud fuerit, quo res gesta esse scribitur.

DE MENSIBVS EBRAICIS.

Et vt primùm de Ebraicis mensibus dicam, nomina eorum & ordinem scire oportet, vt vno accommodato ad Iulianum aliquem mensem, reliqui postea suo quisq; loco, reliquis Iulianis aptari possint.

Constat autem ex Biblicis scriptis, menses seu lunationes Ebræorum, non habuisse hæc nomina, quæ nunc recensentur, ante exilium Babylonicum, præter admodum paucos, sed numeris serè tantùm fuisse indicatos. Sed post captiuitatem reuersi Iudæi, hæc nomina mensium à Chaldæis retulerunt, vt primus diceretur:

	ניסן	Nisan.
Secundus	אייר	Iiar.
Tertius	סיון	Siuan.
Quartus	תמוז	Thamus.
Quintus.	אב	Ab.
Sextus	אלול	Elul.
Septimus	תשרי	Thisri.
Octauus	מרחשון	Marhesuan.
Nonus	כסליו	Cisleu.
Decimus	סבת	Tebet.
Vndecimus	שבט	Sebat.
Duodecimus	אדר	Adar.

Dicamus igitur de primo mense Nisan, quem & Iudæi recentes, & quidam illos secuti, referunt ad nostrum Martium. Sed constat, primum mensem dictum esse mensem nouarum frugum, seu spicæ, quòd tùm segetes proferebant spicas plenas, vnde in lege Moisi constitutum fuit, vt postridie eius sabbati, quod in septimanam

ptimanam dierum azymorum cadebat, (quorum initium erat decimusquintus dies primi mensis) offerretur Sacerdotibus ad templum Manipulus spicarum, post quem diem licebat falcem in messem immittere, quod ante illum diem facere erat prohibitum, Vnde & in libro Iosuæ capite 4. & 5. primus mensis vocatur tempus messis, quod in illo cæperit fieri frugum importatio.

Quare verisimile est, mensem primum aliquantò seriorem fuisse nostro Martio, siquidem attulit frugibus eam maturitatem, vt demeti iam potuerint. Etsi enim cœlum in Palæstina clementius est, quam in his locis, & regio multò calidior, propter poli Arctici depressionem, & æquatoris eleuationem, qui ab Hierosolymorum vertice abest paulò longius gradibus triginta vno: tamen tempus præcedens æquinoctium etiam in illis locis adhuc asperius est, quàm vt maturandis & percoquendis frugibus sit idoneum, quod quidem ita esse Euangelica historia testatur, in qua legimus die, quo captus est Saluator noster, mediocre frigus fuisse, adeò, vt opus fuerit militibus excubantibus in vestibulo domus Pontificiæ, extructo foco in atrio, membra ad ignem calefacere.

Existimant autem plærique scriptores Ecclesiastici, Christum esse passum die æquinoctij verni. Quare non prorsus quadrabit primus mensis Ebræorum ad nostrum Martium, qui illo tempore maxima sua parte æquinoctium præcesserit, & hyemi vicinior fuit, nec maturandis frugibus semper idoneus.

Sed hoc multò clarius docet æquinoctij tempus, quod iuxta Iulianam correctionem anni, tenebat tunc vicesimum quintum diem Martij, non, vt nunc, decimum eiusdem mensis. Causa autem huius mutationis, qua æquinoctia à suis locis dimota ad initia mensium recurrerunt, alibi copiosè declaratur.

Constat autem, Iudæis vernum æquinoctium fuisse terminū, qui anno initium præbuerit, hac lege, vt illud nouilunium perpetuò principium anni haberetur, quod vel præcedebat proximè diem æquinoctij, vel sequebatur, à quo nouilunio numeratus decimusquartus dies, erat destinatus mactationi agni paschalis

quod sacrum nunquam licebat celebrare ante æquinoctium vernum, sed vel ipso æquinoctij die, vel aliquantò pòst, vt testatur Iosephus lib 3. cap. 12.

Quapropter cùm æquinoctium vernum olim tantùm sex diebus à fine Martij abfuerit, & nouilunium illi diei æquinoctiali proximum, primi mensis initium fuerit: sequitur, primum mensem Ebræorum aut totum, aut (quod frequentissimum erat) maiore ex parte in Aprili fuisse, ita vt aliquando nullos, aliquando paucos & postremos dies Martij attingeret, & rarò accidisse, vt duas fermè tertias partes mensis Martij occuparet, quod tùm demum fiebat, quando celebritas Paschatis cadebat in ipsum diem æquinoctij. Tunc enim nouilunium, quod primum mensem inchoabat, quatuordecim diebus præcedens, attigit duodecimum diem Martij. Idq; accidisse existimatur eo anno, quo Christus est passus. Nam scribunt aliqui Ecclesiastici Doctores, Christum eodem die vicesimo quinto Martij & humanam naturam in vtero virginis Mariæ assumsisse, & postea tricesimo quarto anno crucifixum & sepultum esse, quo die adhuc quotannis Ecclesia celebrat memoriam conceptionis Christi.

Sed quia hoc rarò fiebat, vt dies plenilunij in ipsum æquinoctij verni diem incideret, tutius est & conuenientius, nos iuxta id quod frequenter & plurimùm solebat euenire, primum mensem Nisan referre ad Aprilem nostrum, potius quàm ad Martium, quod etiam à plurimis scriptoribus Ecclesiasticis esse factum, multis ipsorum testimonijs posset ostendi.

Sit igitur ex his rationibus, & multorum Scriptorum testimonijs (quæ hoc loco breuitatis causa omittimus) nobis hoc persuasum, primum mensem Ebræorum Nisan, olim respondisse vt plurimum Aprili, secundum mensem, Iiar, nostro Maio, & sic reliquos suo ordine deinceps.

Sed quia libenter credimus illis, qui scribunt, eodem die æquinoctiali Christum & conceptum & passum esse, præmonere lectores volumus, nos ad signandos postremos actus Christi ex historia passionis ipsius, die vicesimo quinto Martij, tanquam certo termino vsos esse, & inscripsisse in Calendarium nostrum dies illos,

illos, non vt in mense primo numerantur, sed ex interuallo, quo aut præcesserunt, aut secuti sunt hunc vicesimum quintum diem Martij. In reliquis autem Biblicis historijs, dies omnes Primi mensis, soli Aprili assignasse.

DE MENSIBVS MACEDONICIS SEV GRÆCIS.

Hæc de mensibus Ebraicis dicta sufficiant, quibus necessario adiungimus Macedonicos menses, quos Ptolemæus Chaldaicos, Iudæi Græcos vocant: cùm propter alios scriptores, tùm præcipuè propter Iosephum, qui bonam partem Iudaicæ historiæ describit, quæ in Bibliis non habetur, & tamen ad intelligenda Prophetica & Apostolica scripta necessaria est. Vtitur autem is ad indicanda tempora rerum gestarum ferè semper mensibus, vt ipse vocat, Græcis, seu Macedonicis. Quare & hi cum Iulianis mensibus coniungi debent.

Est autem hic illorum mensium ordo & nomenclatura.

1 Ἀυδυναῖος.	7 Παύεμος.
2 Περίτιος.	8 Λῶος.
3 Δύστρος.	9 Γορπιαῖος.
4 Ξανθικὸς.	10 Ὑπερβερεταῖος.
5 Ἀρτεμίσιος.	11 Δῖος.
6 Δεύτιος & δαίσιος.	12 Ἀπελλαῖος.

Applicatio aũt horum mensium cum Iulianis, facilis est ex Iosepho, postquam hoc semel constitutum est, Nisan, primum mensem Ebræorum pertinere ad Aprilem, non ad Martium. Nam Iosephus crebrò coniungit ξανθικὸν cum Ebræorum Nisan, & alios similiter. Quare ex hac copulatione mensium, qua Iosephus vtitur, constat ἀυδναῖον esse Ianuarium: περίτιον Februarium, δύστρον, Martium, & sic deinceps. Et hanc mensium Macedonicorum cum Iulianis connexionem, confirmat perpetuum testimonium Suidæ, qui omnes ferè hos menses illis Iulianis copulat, quibus nos ratione Ebræorum mensium ex Iosepho eos aptauimus.

Quare etiam de Macedonicis menſibus nulla eſt dubitatio, quin hoc modo cum Iulianis congruant, vt dictum eſt, quamuis interpres Ioſephi menſes Macedonicos ſemper cum præcedentibus Romanorum menſibus coniungat, vt Xanthicum cum Martio, Artemiſium cum Aprili, & cæteros eodem modo, ſecutus illorum rationem, qui Niſan primum Iudæorum menſem cum Martio noſtro copulant, quod incommodè fieri ſupra oſtendimus.

DE MENSIBVS ATTICIS.

Ita habemus iam menſes illos cum Iulianis coniunctos, qui ad intelligendas Biblicas hiſtorias neceſſarij ſunt.

Sed quia diximus, ex aliarum quoq; gentium hiſtoriis & maximè Græcis, quædam notatu digna in Calendario ſignari debere, oportet etiam Athenienſium menſes eidem Calendario inſcribi, quorum mentio fit plurima à ſcriptoribus Græcis.

Etſi autem ſcimus de eorum ordine & coniunctione cum Romanorum menſibus à multis variè diſputari: tamen nos vtemur illo ordine & ratione, quam vir natione Græcus, & antiquitatis ſtudioſiſsimus inquiſitor, Theodorus Gaza, in libello de menſibus tradidit, præſertim cùm ex iis, qui adhuc quidem Gazæ inuenta conuellere conati ſunt, nullus extiterit, qui firmis teſtimoniis oſtenderit, quo alio ordine menſes Athenienſium collocari, & quomodo cum Latinis menſibus coniungi debeant, vt rectius Græcorum ſcriptorum ſententiis congruant, quæ ſane, vt in re dubia, propter antiquitatem, aliquando ſunt diuerſiſsimæ.

Sed nos ſequamur doctiſsimi Gazæ admodum veriſimilibus rationibus confirmatam ſententiam de menſibus Atticis, quam ad hunc vſq; diem magno conſenſu eruditiſsimi viri in Europa approbarunt, cùm melior haberi non poſsit, & credamus, hunc fuiſſe ordinem menſium apud Athenienſes, qui annum inchoabant à ſolſtitio æſtiuo, vt primus ipſorum menſis fuerit Ἑκατομβαιών.

Μεται-

2 Μεταγειτνιών
3 Βοηδρομιών.
4 Μαιμακτηριών.
5 Πυανεψιών.
6 Ἀνθεστηριών.
7 Ποσιδεών.
8 Γαμηλιών.
9 Ἐλαφηβολιών.
10 Μουνυχιών.
11 Θαργηλιών.
12 Σκιροφοριών.

Oſtendit autem Gaza ſatis euidentibus teſtimoniis, ἑκατομβαιῶνα fuiſſe ſolſtitialem menſem, reſpondentem noſtro Iunio ferè, & ποσιδεῶνα brumalem, reſpondentem noſtro Decembri, vt plurimum. Quare Ianuario congruet γαμηλιών, Februario ἐλαφηβολιών, & reliqui conuenienter ratione ordinis.

DE MENSIBVS ÆGYPTIIS.

Fit alicubi in ſcriptoribus Græcis, maximè Eccleſiaſticis, etiam mentio AEgyptiorum menſium, quos tamen vt ſtatos & fixos ab illis vſurpatos fuiſſe, non vt ſupra dictum eſt, mobiles & vagantes per omnes anni partes (quibus Mathematici ſunt vſi) multis teſtimoniis ipſorum oſtendi poteſt. Nam Epiphanius coniungit AEgyptiorum menſem τυβὶ cum Ianuario, menſem ἀθὺρ cum Nouembri, menſem φαμενὼθ cum Martio. Et Beda exactius non modo menſes AEgyptios menſibus Romanis, ſed etiam dies diebus copulat, ſcribens AEgyptios annum inchoaſſe à quarto Calendas Septembris, & duodecim menſibus tricenos dies addidiſſe. Sed vt manerent menſes fixi, quinto quoq; anno vnum adhuc diem prioribus quinq; adieciſſe. Eſt autem hæc nomenclatura, & ſeries menſium AEgyptiorum, de qua nullum eſt dubium.

1 Θώθ.	2 Φαωφί.	3 Ἄθὺρ.	4 Χοιάκ.
5 Τυβί.	6 Μεχείρ.	7 Φαμενώθ.	8 Φαρμοῦθ.
9 Παχών	10 Παῦνι.	11 Ἐπεφί.	12 Μεσορή.

Ex his

Hos menſes etiam medicus excellens Aetius in fine duodecimi libri coniungit cum Romanis menſibus ſic, vt menſem Ῥώθ copulet cum Septembri, φαωφί cum Octobri, & ſic deinceps.

Ex his animaduerti poteſt, AEgyptios tandem etiam vſos fuiſſe ea ratione anni, quam Iulius inſtituit, niſi quòd is menſibus ſuis inæquales numeros dierum attribuit, ne duplici intercalatione opus eſſet. AEgyptij verò ſingulis menſibus tricenos dies aſſignarunt, & quotannis quinq; dies intercalarunt, & præterea quatuor annis completis, alium etiam diem addiderunt, collectum ex quatuor diei quadrantibus, vt in ijſdem veſtigijs menſes conſiſterent.

Sed, vt ſupra dictum eſt, Mathematici in ſchola Alexandrina retinuerunt annum antiquitus vſurpatum, continentem trecentos ſexaginta quinq; dies, ſine vlla intercalatione quadrantis, qui ſupereſt ad complendum annuum Solis circuitum per Zodiacum. Quod diſcrimen obſeruandum eſt, ne exiſtimantes à Ptolemæo & aliis Aſtronomis menſes AEgyptios fixos vſurpari procul à vero aberremus.

Nunc exponemus menſes hactenus commemoratos diuerſarum gentium in tabula, vt eorum connexio cum Iulianis menſibus in conſpectu eſſe queat.

MEN-

MENSES

ROMANI.	EBRÆI.	MACEDONICI ATTICI. SEV GRÆCI.	ÆGYPTII.
Ianuarius.	Tebet.	Ἀυδυναίου Ⓖ.	Τυβί.
Februarius.	Sebat.	Περιτίου Ⓖ.	Μεχείρ.
Martius.	Adar.	Δύστρου Ⓖ.	Φαμενώθ.
Aprilis.	Niſan.	Ξανθικοῦ.	Φαρμοῦθι.
Maius.	Iiar.	Ἀρτεμισίου Ⓖ.	Παχών.
Iunius.	Siuan.	Δύστρου Ⓖ.	Παῦνι.
Iulius.	Thamus.	Πανήμου Ⓖ.	Ἐπιφί.
Auguſtus.	Ab.	Λῴου Ⓖ.	Μεσορή.
September.	Elul.	Γορπιαίου Ⓖ.	Θώθ.
October.	Thiſri.	Ὑπερβερεταίου Ⓖ.	Φαωφί.
Nouember.	Marheſuan.	Δίου Ⓖ.	Ἀθύρ.
December.	Cisleu.	Ἀπελλαίου Ⓖ.	Χοιάκ.

Γαμηλιών
Ἐλαφηβολιών.
Μουνυχιών.
Θαργηλιών.
Σκιροφοριών.
Ἑκατομβαιών.
Μεταγειτνιών.
Βοηδρομιών.
Μαιμακτηριών.
Πυανεψιών.
Ἀνθεστηριών.
Ποσιδεών.

Hos menſes ita Calendario inſcripſimus, vt ſingulis diebus menſium Romanorum vnam pagellam vacuæ chartæ tribueremus, vt ſi quid poſtea legentibus notatu dignum occurreret, ibi ſignari poſſet.

Proderit autem res geſtas annotari breuiſsimis quidem verbis, ſed alludentibus tamen ad aliquem locum communem moralem, vt animi legentium certo die annotatum factum, traducantur ad conſiderationem alicuius virtutis aut præcepti moralis: Cuius rei, vt aliqua exempla pueris monſtrem, nunc tandem Calendarium ipſum propono, & eos hortor, vt ſimili vel etiam accuratiore ſtudio inſignia facta antiquitatis obſeruent & notent, propter vtilitates ſupra commemoratas.

Nunc ſequitur Calendarium.

IANVARIVS.

טבת TEBETH.

DECIMVS.

ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

SVIDAS: Ἀυδυναῖος ὄνομα μιὰς παρὰ Μακέδοσιν, ὁ Ἰανυάριος.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ.

TYBI.

Hic Menſis etiam λωαγέων dicitur ab Heſiodo lib. 2. vt volunt aliqui.

Clſio Ianus Epiphanijs dic dona Magorum.
Vincit ouans Agne, noua PAVlum lumina vertunt.

I. IANVAR.

CALEND. IANVAR.

X. טֵבֵת

ἈΤΔΥΝΑΪΟΣ.

CIRCVMCISIO DOMINI.

Comitia celebrabantur, & Consules Romæ creabantur, 1. Fast.

SIGISMVNDVS I. Rex Poloniæ, Casimiri Regis filius, nascitur paulò ante sextam matutinam, Anno 1467.

Natalis *ANDREÆ VESALII* Medici præstantis, & Anatomes illustratoris, editi 45. minutis post quintam matutinam horam 1514.

Decimi mensis die primo, demum apparuerunt Nohæ, incluso in arcam, humiliorum montium cacumina, cùm tamen Arca in montibus Ararath iam constitisset 74. dies, Genesis 8.

T. Liuius, P. Ouidius } mortui sunt, teste Apuleio.

L. Marcius Censorinus COS. triumphum egit, Anno vrb. 715. Hunc triumphum & alios plurimos, quos deinceps leges, asscripsimus ideò potiss. quòd hac temporum notatione sperauimus aliquid lucis accessurum Liuianæ Historiæ, & Chronologiæ Glareani. Sunt autem illi transcripti de marmoribus antiquis, quæ Anno CHRISTI 1548. in foro Romano eruta sunt ab ijs, qui ædificiorum caussa sub terris marmora inquirunt, & postea in Triumuirale palatium montis Capitolini translata sunt.

MAXIMILIANVS Archidux Austriæ, *FRIDERICI III.* Imp. filius electus est Rex Roman. Francofordiæ, Anno 1486.

LVDOVICVS XII. Gallorum Rex Parisijs moritur, Anno Christi 1515. ætatis suæ 53. Iouius.

CHRISTIANVS Daniæ & Norvegiæ Rex, Dux Holsatiæ, in pia confessione & inuocatione filij Dei placidè obijt anno 1559. ætatis 56. climact. 8.

Marius Cos. magna gloria de Iugurtha triumphauit. Sal.

AElius verus ab Hadriano adoptatus, veneno perijt, anno Christi 170.

Anno 1538. natus est *LVDOVICVS* Comes ab Eberstein, dominus in Neugard &c. prope Stetinum, mane circa horam tertiam.

Anno 1554. natus est *LVDOVICVS* Dux VVirteberg. Ducis *CHRISTOPHORI* filius ex *ANNA MARIA* filia *GEORGII* Marchionis Brandeburg. sorore *GEORGII FRIDERICI* March.

Anno 1547. Iohannes Fridericus Elector Saxoniæ obsidione cinxit Lipsiam.

In Baltheo ORIONIS media vesperi oritur.

WBP Opole

II. IANVAR.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ ΤΥΒΙ.

IIII. NONAS IAN.

Natalis Doctoris *CASPARIS CRVCIGERI* editi in hanc lucem Lipsiæ mane horæ primæ post medium noctis, Anno Christi 1504.

BERNHARDVS Zieglerus, natus ex nobili familia Misnica, S. Theologiæ Doctor, & Ebrææ linguæ peritissimus professor in Academia Lipsica, moritur, Anno 1552. ætatis 56. climacterico octauo.

Hoc die *FERDINANDVS* Rex Hispaniæ, auus maternus *CAROLI V.* Imp: occupato Regno Beticæ, & electis inde Regibus patruelibus Alzagale & Bandele, triumphans ingressus est *GRANATAM* Beticæ Metropolin, quæ ex antiquæ Illyberis ruinis creuit, Anno 1429. cùm septingenti fermè anni essent, ex quo Miramolinus Maurorum, qui ad Atlantem montem vergunt, Princeps, Regnum id in Betica condiderat.

PHILIPPVS Longus, Franciæ R. Philippi Pulchri F. moritur anno Christi 1321.

Albertus Comes Mansfeldensis cum equestribus et peditibus suis copijs ex Vrbe Parthenopoli vrbem cum hostibus acriter dimicauit, et aliquot nobilium captos sunt. Anno 1551.

III. IANVAR. X. טֵבֵת

III. NON. IAN. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

M. TVLLIVS CICERO nascitur Q. Serrano Q. Cepione Coss. Anno vrbis 648. quo anno Cimbri ingressi fines Imperij Romani, Aurelium Scaurum cæso exercitu captum interfecerunt. Fuit autem is Annus ante Christum natum 103. Gellius lib. 15. cap. 28. Cicero ipse lib. 7. Epistola 5. ad Atti.

HEINRICVS VIII. Angliæ & Hyberniæ Rex moritur anno 1547. relinquens regni Hæredem EDVARDVM VI. puerum 10. annorum, progenitum ex tertia vxore, Anna Regina.

VITVS ORTEL VVinshemius, Græcæ linguæ Professor in Academia VViteberg. & Medicæ artis Doctor, piè ac placidè obit, Anno Christi 1570.

In Baltheo ORIONIS sequens vespertino exoritur.

IIII. IANVA.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. TYBÍ. PRIDIE NON.

Lex AElia Fusia eversa & sublata est à P. Clodio trib. plebis, quæ centum annos durauerat, item Censorum ratio, quæ quadringentos annos durauerat, quo iudicio de moribus ciuium, quinto quoq; anno, iudicabatur. Cicero in Pisonem.

FRIDERICVS ex Misnensibus Marchionibus primus in hac familia Elector Saxoniæ moritur Vueisenfelsij Anno Christi 1428. & sepelitur Aldeburgi: Huic ob virtutem & felicitatem Bellicosi nomen attributum fuit.

Sinister pes ORIONIS communis cum NILO vespe-
ri exoritur.

V. IANVAR. טבת X.

NONAE IANV. ΑΤΔΥΝΑΪΟΣ.

C. Iunius Bubulcus II. COS. de Lucanis & Brutijs triumphum egit anno vrb. 476.

HIERONYMVS EBNERVS Duumuir Noribergensis Reip. nascitur anno 1477.

Eodem anno 1477. CAROLVS, dictus Bellator, Dux Burgundiæ, Caroli V. Imperatoris proauus, cum duobus fratribus nothis, Antonio & Balduino, & pluribus alijs præstantibus Ducibus, ad Nansium victus & occisus est, à Renato Duce Lotharingiæ & fœderatis Heluetijs, & vix tandem inter trucidatorum cadauera inuentus, anno ætatis 44.

FERDINANDVS Archidux Austriæ, Boiemorum & Vngariæ Rex, Coloniæ renunciatur Rex Romanorum, contra illam electionem, vt legibus Caroli IIII. contrariam, protestante Electore Saxoniæ Anno 1531.

CHRISTOPHORVS Dux Megalburgensis Alberti filius nascitur anno 1537. dimidia hora ante 12. meridiei.

M. CHRISTIANVS Sagittarius Ducis Sax. AVGVSTI Electoris concionator Aulicus natus est in oppido Chattorum VValdcappel, Anno 1526.

VI. IANVAR. ΓΑΜΗΛΙΩΝ.

TTBÍ. VIII. IDVS.

Hoc Die scribit Epiphanius Christum primo miraculo inclaruisse, ornantem egregio munere NVPTIAS IN CANA GALILÆÆ, aqua versa in vinum. Eundem diem idem scriptor dicit esse natalem DOMINI nostri IESV CHRISTI, idq; aliquoties repetit. Sed plurimi non sine causa dissentiunt.

EPIPHANIA.

TRINITAS se patefecit, dum baptisatus est IESVS CHRISTVS.

MAGI oblatis muneribus infantem Iesum agnoscunt, & adorant, vt Messiam.

Idem dies est natalis EOBANI HESSI laudatissimi poëtæ in Germania, nati Anno 1488. hora 5. matutina. Annus mortis eius hoc disticho notatus est:

Ducite Thespiades fletus, elegeia luge,
Hoc Hessus saxo gloria vestra iacet.

AVGVSTINVS SCHVRF artis Medicæ Doctor excellens, natus est apud Heluetios in oppido S. Galli Anno 1495.

CASPAR PEVCERVS Philosophiæ & artis Medicæ Doctor natus est Budissinæ Anno 1525. initio diei ciuilis, hoc est, hora 12. noctis præcedentis Festum diem Epiphaniorum.

Pius IIII. Pontifex Rom. coronatus est Romæ, anno 1560. prius dictus Iohannes Angelus de Medicis Mediolanensis, Tituli S. Potentianæ.

Augustus Cæsar, victor Orientis, Romam triplici triumpho ingreditur, à quo die summa potestas penes ipsum esse cœpit & permansit.

M. VVILHELMVS MEGALES VVirceburgensis Ducum Luneburgensium Filiorum Ducis ERNESTI pij & constantis confessoris puræ doctrinæ Euangelij, præceptor natus est VVirteburgi Anno 1510. mane inter 6. & 7.

D. IOHANNES HESSVS pastor Ecclesiæ Vratislauiensis obijt anno 1547. ætatis suæ 60.

Iohannes Hessius Sacræ Theologiæ Doctor et Pastor fidelis Vratislauiæ obijt Anno 1547.

VII. IANVAR. י טֵבֵת X.

VII. IDVS. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

Hoc die perſcriptum & promulgatum eſt ſenatusconſultum illud extremum: DENT OPERAM COSS. PRÆTORES, TRIB. PLE. QVIQVE PROCOSS. SINT AD VRBEM, NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPIAT. Quo armati ſunt Coſ. Lentulus & Marcellus, itemq; Pompeius aduerſus Iulium Cæſ. fuitq; hoc claſsicum belli Ciuilis, inchoati Anno vrb. 705. ante Chriſtum natum 46. Anno Cæſar. 1. Belli ciuilis.

Μιὼς γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ natus eſt EPICVRVS Philoſophus, ſeptimo anno poſt mortem Platonis, 20. anno regni Philippi Amyntæ filij Regis Macedonici.

EBERHARDVS Dux Vuirtebergenſis, Ducis CHRISTOPHORI filius primogenitus, naſcitur Studgardiæ ex Anna Maria filia Georgij Marchionis Brandeburgiaci, hora 5. veſpertina, anno Chriſti 1545. Obijt anno 1568. poſtridie Calendas Maij, agens annum ætatis 24.

VIII. IANVAR.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. VI. IDVS.

TYBÍ

ERHARDVS.

IOHANNES FRIDERICVS II. Dux Saxoniæ, IOHANNIS FRIDERICI ELECTORIS primogenitus, naſcitur anno Chriſti 1529. intra horam 9. & 10. veſperi.

ALBERTVS Marchio Brandeburgenſis CASIMIRI filius, FRIDERICI Nepos, exul in oppido Marchionum Badenſium, quod dicitur Porta Hercinia, moritur, Anno 1557.

FRIDERICVS III. Saxoniæ Palatinus, fraude vxoris adulteræ interficitur à Ludouico II. Comite Turingiæ Anno 1065.

FERDINANDVS R. Caſtiliæ, vrbem Granatam Mauritanis rurſus ereptam, triumphans ingreditur Anno Chriſti 1492.

Ioachimus Ericus Princeps ac Dominus in Anhalt nuptias celebrat cum Elconora Ducissa Wirtebergensi 8 Ianuarij Stotgardiæ: eamq; Dessauiam ducit Anno 1571.

IX. IANVAR.

י טֵבֵת X.

V. IDVS. ΑΥΑΤΝΑΪΟΣ.

Prætoris verba, qui more maiorum Ferias concipere ſolebat, quæ appellantur Compitalia, hæc fuerunt: DIE NONI POST CALEND. IANVARII QVIRITIBVS COMPITALIA ERVNT. Macrob: lib. 1. Satur. cap. 4. Sed ſciendum eſt, hoc Feſtum non fuiſſe ſtatum, ſed quotannis concipi ſolitum, ſicut & Latinæ feriæ, & ſementinæ. Varro. Liuius 5. Decad. lib. 4. Latinis, quæ pridie Calendas Apriles fuerunt, in monte, ſacrificio ritè perpetrato.

IOACHIMVS II. Marchio Brandeburgenſis Elector, IOACHIMI Electoris filius ex Eliſabetha IOHANNIS I. Regis Danorum Filia, natus eſt anno 1505. hora dimidia fermè poſt primam pomeridianam.

Anno 1553. nocte, quæ præceſſit nonum diem Ianuarij, exorto ſæuiſſimo uento, à ſtatua Ducis Mauricij Electoris Sax. lapidea, collocata cum alijs pluribus in arce Berlinenſi, violentia turbinis caput deiectum eſt, illæſis Imperatoris, & reliquorum Electorum ſtatuis. Et ſex deinde menſibus elapſis, hoc eſt, 9. die Iulij, anno eodem, Dux Mauricius in pugna contra Albertum Marchionem lætali vulnere acceptо, mortuus eſt.

IOHANNES Auentinus ſui temporis Hiſtoricus diligentiſſimus, obijt Ratiſbonæ 1534.

DE ASELLIS Borealis veſperi oritur.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. X. IANVAR.

ΤΥΦΙ. IIII. IDVS.

עֲשָׂרָה בְּטֵבֵת

Decima in Tebeth. Ieiunium celebrant Iudæi, vt exiſtimant aliqui, ob huius ob-4. Reg. 25.

Decimo die menſis Iudaici, nono anno regni Zedechiæ, Rex Babylonicus Nabuchodonoſor irritatus defectione Zedechiæ, quem ipſe antea Regem Hieroſolymis fecerat & Vrbi pepercerat, denuò cum vniuerſo ſuo exercitu profectus in Iudæam, Hieroſolyma obſidere cœpit, durauitq; obſidio 18. menſes, ſupra hoſtilem metum etiam peſte & fame perimente incluſos intra mœnia Iudæos. Ioſeph. lib. 10. cap. 10. ſidionis initium.

HONORIVS à Theodoſio patre profecturo contra Eugenium Scribam ſuum, qui nefariè per inſidias extincto Valentiniano Imperatore, Occidentis Imperium inuaſerat, & in Gallijs ope Arbogaſti ingentem exercitum contraxerat, Imperator creatus eſt, Anno Chriſti 396.

Nebuloſa ſequens ſpiculum Scorpij mane oritur.
Lucida in CORONA veſperi occidit.

XI. IANVAR.

טֵבֵת X.

III. IDVS. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

ERNESTVS Dux Luneburgenſis mortuus eſt, Anno 1546. ætatis 48.

IOHANNES Dux Saxoniæ, Ducis GEORGII filius obijt ſine ſobole Dresdæ, Anno 1537. agens ætatis annum 39.

FERDINANDVS Boiemorum & Vngariæ Rex, ante ſex dies renunciatus Rex Romanorum, hoc die Aquiſgrani coronatur, Anno 1531.

GERHARDVS Epiſcopus VVirceburgenſis, è comitibus Suarceburgicis, ingenti clade ſtrauit ciues ſuos VVirceburgios, Anno 1400.

♋ΑΤΝΗ PRAESEPE veſpertino oritur.

XII. IANVAR.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ.

ΤΥΒΙ. PRIDIE IDVS.

CAROLVS III. Imp. cognomine Craſſus, in ſumma inopia moritur, Anno Chriſti 888. in Augienſi monaſterio prope Conſtantiam ſepultus. Alij ſcribunt Mantuæ veneno extinctum Anno 878.

Obijt MAXIMILIANVS Imperator auus Caroli V. in oppido Auſtriæ VVechs. Annos, 1519. ætatis 60. cuius mortem viſa eſt ſignificare Eclipſis Solis horribilis, quæ præceſſit 8. die Iunij, Anno 1518.

M. ANTONIVS VVALTHERVS Profeſſor in Academia VVitebergenſi, in inuocatione filij Dei tabe conſumtus obdormiuit Anno 1557.

Reuerendus vir M. PAVLVS Rhoda Superintendens Eccleſiæ Stetinenſis obijt M. D. LXIII.

Dextrum genu ORIONIS veſperi oritur.
De ASELLIS Auſtrinus mane occidit.

XIII. IANVAR.

X. מִבְּרֵ

IDVS IAN. ΑΤΔΥΝΑΪΟΣ

Q. Publius Philo COS. de Latinis triumphum egit anno vrbis 414.

Sp. Caruilius Max. L. Papyrius Cursor COS S. de Samnitibus triumphum egerunt anno vrb. 460.

C. MARIVS, cuius virtute & calliditate Romanum imperium aduersus Cimbrorum & Teutonum irruptionem defensum fuerat, ab exilio reuocatus à Cinna, & in vrbem introductus cum exercitu, cùm septimùm Consul factus esset Calend. Ianuarijs, patratis in hoc paucorum dierum honore plurimis cædibus, mortuus est Idibus Ianuarij septuagenarius, cùm metu aduentantis Syllæ in pleuritidem incidisset, quam phrenesis comitata fuerat. Florus lib. 80. Plutarchus paulò aliter: ἀποθνήσκει δ' ἓν Μάρκῳ ἡμέρας ἑπτακαίδεκα τῆς ἑβδόμης ἱστατείας ὑπάτων.

FRIDERICVS Austriacus Alberti primi Filius, Rodolphi Imp. nepos, cognomento Pulcher, electus in Regem Rom. contra Ludouicum Bauarum, & ab eodem victus acerrimo prælio & triennium captus, tandemq; liber dimissus, triennio post liberationem hausto philtro cœpit contabescere, & putrefacto corpore, dysenteria extinctus est in Arce Austriæ Gutenstein, Anno Christi 1330. maximas in vita expertus calamitates.

BOHVSLAVS Fœlix Dominus ab Hassenstein præfectus Lusatiæ inferiori nascitur anno 1517. in meridie.

HERMANNVS Episcopus Colonienſis ELECTOR natus est Anno Christi 1477. hora secunda pomeridiana.

D. Hilarius Episcopus Pictauiensis obit, Anno Christi 368.

Ioachimus Marchio & Elector natus est anno Christi 1505.

Marcus Tullius Cicero ab Antonij furijs miserabiliter confossus est, eiusq; mortem multæ et magnæ dissensiones et mutationes in Romano imperio ac in urbe Roma simul secutæ.

De ASELLIS Austrinus vesperi oritur.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. # XIIII. IANVAR.

TYBÍ. XIX. CAL. FEBR.

Ierosolymis, & in vicinis locis, Anno 1546. paulò ante mortem Lutheri tanta tempestas coorta est circa meridiem, vt plurima ædificia & validissimas turres deiecerit.

ΑΤΝΗ PRAESEPE mane occidit.

XV. IANVAR. טֵבֵת X.

XVIII. CAL. FEBR. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

CARMENTALIA Romæ celebrata in honorem CARMENTÆ matris EVANDRI, quæ de Romano Imperio vaticinata est.

Terræmotus Argentinæ templum & turrim concussit, Anno 1559.

M. FRANCISCVS BVRCKHART Vinariensis obijt anno ætatis 56 Climacterico octauo, anno Christi 1560. diebus 64. ante obitum domini PHILIPPI MELANTHONIS Præceptoris & amici sui.

Hieronymus Stridonensis, Theologus, hoc die mortuus in oppido Bethlehem Anno Christi 429. ætatis suæ 90.

Caput GEMINI sequentis mane occidit.

XVI. IANVAR.

ΤΑΜΗΛΙΩΝ. ΤΥΒΙ. XVII. CAL. FEBR.

Nascitur Carolostadij IOHANNES SCHONERVS excellens Mathematicus Anno 1477. minutis 7. ante vndecimam horam noctis. Mortuus eodem die, vel vt alij volunt postridie, Noribergæ, Anno 1547.

IOHANNES FRIDERICVS III. Dux Saxoniæ, IOHANNIS FRIDERICI ELECTORIS filius natu minimus, editus est in hanc lucem anno Christi 1538. hora dimidia post decimam pomeridianam. Obijt Ienæ 1565. vltima octobris.

FERDINANDVS Hispaniarum Rex, vltimus in familia Arragoniorum, quæ à Berengarijs Barchinonæ Comitibus orta in Hispania annos 370. In Sicilia 230. regnarat, CAROLI V. Imperatoris Auus maternus, moritur Anno 1516.

Anno 1545. Die Marcelli obijt Aldeburgi M. GEORG: SPALATINVS, anno ætatis 63. climacterico.

1

Vltima AQVAE in ore piscis marini vesperi occidit.
ΠΡΟΚΥΩΝ Antecanis vesperi oritur.

XVII. IANVAR. י טֵבֵת X.

XVI. CAL. FEBR. ΔΥΔΥΝΑΪΟΣ.

C. Cæsar Octauius à Senatu & populo Romano Imperator AVGVSTVS appellatus est, anno 24. ante natum Christum.

Eodem die THEODOSIVS Imperator, pater Honorij & Arcadij, sexagenarius, Mediolani mortuus est, anno post natum Christum 398. anno Imperij decimo sexto, ætatis sexagesimo, Historia Tripart. fine lib. 9.

Eodem die Georgius Castriotus, ob virtutem dictus SCANDERBEGVS, Epirotarum Princeps, qui Turcicam rabiem à vastatione Epiri & Hungariæ annos 24. arcuerat, obijt anno ætatis 63. anno Christi 1466.

Idem dies est natalis FRIDERICI Ducis Saxoniæ Electoris, cuius liberalitate Academia VVitebergensis constituta est, & eiusdem fortitudine repurgatores cœlestis doctrinæ constanter defensi sunt. Natus est autem paulò ante primam horam pomeridianam, anno Christi 1463.

IOHANNES Schoner Mathematicus Noribergæ moritur, Anno 1547.

Anno 1504. natus est PIVS V. Pontifex Roman. successor Pij IIII. Eodem die Anno 1566. coronatus est Romæ à Cardinalibus Vrsino & de Monte-

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. XVIII. IANVAR.

ΤΥΒΙ XV. CALEND. FEBRV.

PETRVS BEMBVS Cardinalis, vir doctus & eloquens Romæ moritur, anno Christi, 1547. ætatis 77.

Hoc die generosus Dn: Otto Comes in Nassaw et Dominus in Bojolstain natus est. Anno 1494.

XIX. IANVAR. י טֵבֵת X.

XIIII. CAL. FEBR. ΑΤΔΥΝΑΪΟΣ

A. Atilius Calatinus COS. ex Sicilia de Pœnis triumphum egit anno vrb. 495.

FRANCISCVS de Francia Delphinus, primogenitus HENRICI secundi regis Galliæ filius, ex Catharina Medicea, nascitur Aquis bellis Anno 1544. inter. 4. & 5. horam post meridiem, in latitud. loci 48. grad. 40. scr. Factus est Rex Galliarum Anno Christi 1559. ætatis 16. post tristem obitum patris Henrici II. mortuus anno 1560. die 5. Decemb. ex apostemate cerebri.

FRANCISCVS VVICENDORF Consul Luneburgensis Ciuitatis natus est Anno 1520. dimidia hora ante sextam matutinam.

M. EVSEBIVS MENIVS Domini IVSTI MENII filius, Erfordiæ natus est Anno 1527.

XX. IANVAR.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. XIII. CAL. FEBR.
ΤΥΒΙ.

FABIANVS,

Contra quem, sibi in Episcopatu Romano prælatum, Nouatus pernicioſum dogma ſparſit in Eccleſia.

SEBASTIANVS,

Ciuilis Mediolanenſis, ſub Diocletiano militans, ab eodem ob confeßionem Chriſti occiſus eſt XIII. Calend. Februa.

Ser. Fuluius Pætinus Nobilior Procoſ. de Coſſurenſibus & Pœnis nauale triumphum egit anno vrb. 499. Polyb. pag. 9.

Inundatio Pegneſi inſolita Noribergæ fuit, quæ cœpit hora 3. poſt medium noctis præcedentis, durauitq; 36. horas Anno 1501. hyems præcedens fuit inuſitato gelu inſignis, Anno ſequente cladem acceperunt Noribergenſes, occiſis fermè ſeptingentis à Marchione CASIMIRO FRIDERICI filio, patre ALBERTI Marchionis, qui poſt ſimilem Pegneſi, multisq; locis noxiam exundationem, eandem ciuitatem duriter afflixit, Anno Chriſti 1552.

Egregia eruditione & bonitate præditus Iureconſultus Doctor NICOLAVS GERBELIVS Argentinæ moritur Anno 1560.

De ASELLIS Boreal*is* mane occidit.

XXI. IANVAR.

י. טֵבֵת X.

XII. CAL. FEBR. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

AGNE,

Nobilis ciuis Romani Filia egregia forma & Iuuencula, cum post agnitionem Christi nullis rationibus flecti posset, vt ad gentilium idolatricos cultus rediret, ad ignem condemnata, hilari vultu ad rogum accessit, & admirabili constantia horrendum supplicium pertulit, sub Diocletiano, Anno Christi 309.

M. AEmilius Paulus Procos. de Cossurensib. & Pœnis nauale triumphum egit anno vrb. 499. Polyb. pag. 9.

GEORGIVS SIGISMVNDVS SELDIVS Augustanus Iuris vtriusq; Doctor, Imperatoris CAROLI V. Vicecancellarius, & successoris fratris FERDINANDI Imp. Cancellarius nascitur mane hora prima post medium noctis, Anno 1516.

XXII. IANVAR.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. ΤΥΒΙ.

XI. CAL. FEBR.

VINCENTIVS,

Natione Hispanus excellens pietate & eruditione, Archidiaconus Episcopi Valerij, à præside Hispaniæ Datiano ob fidem in Christum pertractus Valentiam, varijs suppliciorum generibus excruciatus, constanter mortem obijt sub Diocletiano Imperatore.

LVDOVICVS Comes Nassaensis, VVILHELMI senioris filius tertius, nascitur Dillenbergæ Anno 1537. minutis 40. post primam pomeridianam.

ANDREAS ALCIATVS Mediolanensis, qui ius docuit Biturigibus in Gallia: Bononiæ, Ticini, Ferrariæ, in Italia mortuus est Anno Christi 1550. ætatis 58. Alij hoc asscribunt diei 12. Ianuarij.

Tomombeius Mamalucorum in AEgypto Sultanus à Selimo Turcico Tyranno acie victus anno Christi 1517. Iouius.

Henricus Marchio Missensis, Comes in Harstenstein, et Dominus in Plauen &c Gera etc. ultimus huius linea, pie moritur 22 Ianuarij Anno Chri 1572. etatis sue 36.

XXIII. IANVAR. טֵבֵת X.

X. CAL. FEBR. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

Vrbs VIENNA Austriæ iterum obsessa est à MATHIA Rege Vngariæ 1484. & fame expugnata sese dedidit 2. die Iunij cum modius vnus farinæ venderetur 107. florenis.

ALBERTVS REIFENSTEIN nascitur Stolbergæ Anno 1519. dimidia hora ante tertiam matutinam.

IOHANNES Leidensis Hollandus Anabaptistarum Rex & BERNHARDVS Cniperdolingus, alijq; socij, in foro Monasterienſi forcipibus ignitis dilacerati, Anno 1536. Ioh. Sleidani lib. X.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. ΤΥΦΊ. XXIIII. IANVA. IX. CAL. FEBR.

TIMOTHEVS,

Comes S. Pauli, docuit Ephesi in Ionia.

C. CALIGVLA Germanici filius pollutus omni genere libidinum & crudelitatis, quarto imperij Anno, suorum immanium scelerum hoc die pœnas luit, interfectus à Tribuno cohortis prætoriæ Cherea, & alijs coniuratis, & simul vxor Cesonia gladio confossa, & filia parieti illisa est, Anno Christi 39.

Eodem die, vt Iosephus scribit: PHILIPPVS MACEDONVM REX, pater Alexandri Magni, propter non punitam libidinem cuiusdam ex proceribus aulicis, à Pausania, passo illam contumeliam, occisus est in pompa, qua ingrediens Theatrum, duodecim deorum statuis magnificentissimè exornatis, suam quoq; imaginem adiungi curauerat, Anno ante Christum natum 334.

Eodem die AElius ADRIANVS Imperator natus est, Vespasiano VII. Tito V. COSS. Anno Christi 78.

M. PAVLVS Prætorius Bernauiensis, præceptor duorum Archiepiscoporum Magdeburgensium, Marchiorum Brandeburgensium FRIDERICI & SIGISMVNDI, & eorum Consiliarius, nascitur anno 1521. mane hora 2. noctis.

VVILHELMVS Comes Hennebergensis post piam confessionem & Dei inuocationem placide obijt Anno Christi 1559. ætatis octogesimo primo.

XXV. IANVAR. י טֵבֵת X.

VIII. CAL. FEBR. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

CONVERSIO PAVLI,

QVI APOSTOLVS FACTVS EST EX ACERRIMO PERSECVTORE.

SELIMVS Turcarum Imperator, pater Solymanni, Alcairum munitissimam tunc AEgyptij vrbem, & Sultanorum sedem, expugnauit, anno Christi 1517. pluvimis ibi dedititijs, contra fidem datam, crudeliter interfectis.

ADOLPHVS Dux Holsatiæ nascitur, anno Christi 1526. hora dimidiæ post decimam à meridie.

Sigismundus Poloniæ Rex Tartaros vicit memorabili prælio Anno 1527.

ACADEMIA IENENSIS solenni ritu inchoata, & priuilegia Imp. publicè recitata sunt, Anno 1558.

CHRISTIERNVS Rex Daniæ, qui expulsus regno decem Annos exul vagatus fuerat, postea instructa classe conatus redire in regnum, captus, Annos viginti septem in custodia habitus fuerat, hoc die ex hac vita emigrauit, Anno Christi 1559. ætatis 78. diebus 24. post obitum Christiani Regis.

Plaua vrbs Voitlandiæ à Boiemis Thaboritis exuritur anno 1431.

PHILIPPVS MELANTHON in Academia Tubingensi gradu Magisterij ornatus inter XI. candidatos primum locum obtinuit, Decano M. Iohanne Kress, Anno Christi 1514. anno ætatis XVII.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. # XXVI. IANVAR.

ΤΥΒΙ. VII. CAL. FEBR.

POLYCARPVS,

Episcopus Smirnæ, habuit magna certamina cum Martione. martyrium subijt Anno 170

C. Iulius Libo COS. triumphum egit de Salentinis Anno vrb. 486.

C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR ouans ex monte Albano vrbem ingressus est, Anno vrbis 710. quo Anno post 48. dies, hoc est, Idibus Martijs, occisus est.

Sex. Apuleius Procos. ex Hispania triumphum egit, Anno vrb. 727.

FRIDERICVS BARBAROSSA Imp. post sex mensium obsidionem Cremam capit & incendit, Anno Christi 1160.

EDITHA Anglica, Edmundi Regis filia, Otthonis I. Imperatoris coniunx, obijt Anno 946. sepulta Magdeburgi.

Henricus VIII. Angliæ R. relicto filio Eduardo VI. impubere obijt, 1547.

XXVII. IANVAR. י מֵבֵת

VI. CAL. FEBR. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ

Anno 1402. Tamerlanes Tartarus crudeliſſimus Tyrannus, dictus FLAGELLVM DEI, *qui* BAIAZETEN, *Turcicum Imperatorem captum & aureis catenis vinctum circumduxit, & conſcenſurus equum ſcabelli loco humi proſtratum pedibus calcauit, hoc die obijt, relictis duobus filijs, Aſſenbeco & Vſuncaſon.*

ANNA Regina Vngariæ LVDOVICI *Regis ſoror, coniunx* FERDINANDI *Rom. Vngariæ & Boiemiæ Regis &c. qui fratri* CAROLO *V. in Imperij gubernatione ſucceßit, mortua eſt in partu filiæ, quæ fuit 15. proles, Anno 1547.*

Caligula ſceñſſimus Tyrannus ũnà cũm coniuge et liberis hoc die confoſſus eſt. Item Philippus Rex Macedoniæ. Anno ante Chriſtum natum 334.

ΚΥΩΝ SIRIVS veſperi exoritur.
Caput GEMINI præcedentis, mane occidit.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ. XXVIII. IANV.

TYBI. V. CAL. FEBR.

P. CLODIVS Ciceronis & bonorum omnium inimicus, poſt multa tetra flagitia hoc die à T. Annio Milone prope ſacellum Bonæ Deæ, cuius ſacra ſtupro polluerat, in via Appia occiſus eſt annis 50. ante Chriſtum natum.

L. Cornelius Dolabella Procoſ. ex Hiſpaniâ vlteriore de Luſitanis triumphum egit, anno vrb. 655.

CAROLVS MAGNVS Francorum Rex, ad quem primum Imperij Romani titulus & dignitas à Græcis Imperatoribus translata eſt, rebus maximis geſtis bello & pace, & conſtitutis Scholis, Bononienſi, Pariſienſi & Papienſi, mortuus eſt Aquiſgrani, anno ætatis 72. Imperij 14. Regni 46. Chriſti 814.

OTTO III. Imperator Germanicus, qui Collegium Electorum conſtituiſſe ſcribitur, & propter ſapientiam dictus eſt Mirabilia mundi, rebus multis in Italia contra Creſcentium Tyrannum & alios fœliciter geſtis, cum in Germaniam reditum parat, hoc die in itinere veneno eſt extinctus, quod miſerat vxor Creſcentij, Aquiſgrani corpus eius, viſcera Auguſtæ ſepulta ſunt, Anno Chriſti 1002. ætatis 30. Imperij 19. etſi alij diei 23. hoc adſcribunt.

IACOBVS MICYLLVS optimè de ſtudijs literarum meritus, Profeſſor Heidelbergenſis Academiæ Primarius, mortuus eſt, angina biduum decumbens, Anno 1558. ætatis 55.

M. PAVLVS DVMMERICH Halenſis natus eſt anno 1527. hora 3. matutina.

AVGVSTO Electori Saxoniæ nata eſt filia AEMYLIA mane hora noctis prima 1565. ☉ poſt conuerſi Pauli.

XXIX. IANVAR.

י טֵבֵת X.

IIII. CAL. FEBR.

ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ.

Dagobertus Rex Franciæ obit Ventris profluuio, Spineti ad Sequanam, anno Christi 645.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ.

TYBI.

XXX. IANVAR.

III. CAL. FEBR.

AQVILA cum Sole occidit.

XXXI. IANVAR. טבת X. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ

PRIDIE CAL. FEBR.

LVDOVICVS FACHSIVS Iuris vtriuſq; D. natus eſt anno 1497. hora 10. diei ſeu duabus horis ante meridiem.

Clodium, ab Aricia redeuntem Miloniani expugnata taberna, in qua latebat interemerunt Aſcon. Ped.

ΠΑΌΚΑΜΟΣ Coma Berenices veſperi oritur.

FEBRVARIVS. שבט SEBAT. VNDECIMVS.

ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

SVIDAS: Περίπυος μὴν ὁ Φεβρουάριος κῆ μακεδόνας.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ.

ΜΕΧΕΙΡ.

Et PVRgata Parens ad templum ducit Ieſum,
Sede doces ſacra cum PEtro MATthia gentes.

Ἑλαφηβολιῶνος φθίνοντος *sextum diem coniungit Thucydides cum quarto die* Ἀρτεμισίου φθίνοντος *Mensis Laconici. Lib. 5. Sed libro præcedente coniungit* Ἑλαφιβολιῶνος *decimumquartum diem cum duodecimo die Mensis Laconici* Γερμαίου.

I. FEBRVAR. שְׁבָט XI.

CALENDAE. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

CONRADVS CELTES Suinfortensis primus Germaniæ Poëta nascitur non procul ab Herbipoli, Anno Christi 1459. mane circa horam tertiam.

M. Valerius Coruus II. COS. de Antiatibus, Volscis, Satricanisq; triumphum egit Anno vrb. 407.

T. Coruncanius COS. de Vulsinensibus & Vulcientibus Anno vrb. 473.

M. Fabius pictor II. COS. de Salentinis Messapijsq; Anno vrb. 488.

Q. Fabius Max. Verrucossus COS. de Liguribus Anno vrb. 520.

Carolus pulcher Franciæ R. Philippi F. obijt non procul à Lutetia, anno Christi 1327.

Iohannes Trithemius in pago ad Mosellam nascitur anno salutis 1462.

L. AEmylius Regillus deuicto Antiochi classis præfecto, triumphum naualem egit.

II. FEBRVA. שְׁבָט XI.

IIII. NON. FEBR. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

PVRIFICATIO MARIAE.

Diuus BVRCHARDVS *Episcopus VVirceburgensis moritur Anno Christi 791. cum præfuisset Episcopatui Annos vndequadraginta.*

M. IOHANNES *Humelius Professor Mathematum in* ACADEMIA LIPSICA *natus est Anno 1518. dimidia hora post primam ante diluculum.*

FRIDERICVS II. *Turingiæ Landgrauius & Marchio Misnensis, designatus Rex Romanorum obijt Anno 1349.*

LAZARVS A SVENDA *natus est inter XI. & XII. noctis secutæ, Anno 1522. tribus milliaribus ab Vlma.*

M. MICHAEL ROTINGVS *Iunior natus est Noribergæ Anno 1529. quadrante horæ post secundam pomeridianam.*

Anno 1556. nuptias celebrauit HENRICVS *Senior Burggrauius Misnensis, cum* CATHARINA DOROTHEA *filia* GEORGII *Marchionis Brandeburgensis ex* AEMILIA *filia* HENRICI DVCIS SAXE.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. III. FEBRVAR.

MEXEIP. III. NONAS FEBR.

BASILIVS,

Episcopus Cæsareæ. sub Diocletiano ep constantem fidei confessionē capite plexus Anno christi 283.

Anno 1549. dimidia hora post tertiam matutinam, natus est LVDOVICVS *filius* HENRICI II. *Regis Galliarum, qui successit Fratri Francisco II. coronatus Remis, 15. Maij, 1561. sed mortuus paulo post.*

IIII. FEBRVAR. שְׁבָט XI.

PRIDIE NON. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

CONRADVS CELTES Poëta Viennæ mortuus est Anno Christi 1508. Anno ætatis 49. Climacterico.

GEORGIVS Comes in Mumpelgarten, frater Vlrici Ducis VVirtebergensis natus est, Anno 1498.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. # V. FEBRVAR.

MEXEIP. NONAE FEBR.

AGATHA,

Nata in Catana vrbe Siciliæ.

MEDIOLANVM à Francisco Sfortia capitur post longam obsidionem, Anno 1444.

CVNRADVS Timonis filius, primus Marchio Misniæ ex hac familia, ex qua Ducum Saxoniæ origo est, moritur Anno Christi 1156. ætatis 59.

Anno 1520. Belgradum seu Alba Græca à Turcis expugnata occupatur, auspicijs Solymanni Imperatoris.

IOHANNES RHAV Quæstor Academiæ moritur anno 1547.

IOHANNES Princeps Anhaltinus Seruestæ obijt Anno 1551.

VI. FEBRVAR.

שְׁבָט XI.

VIII. IDVS. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

DOROTHEA.

SEVERVS Imperator mortuus eſt, Anno etatis 66. Imperij 18.

FRIDERICVS Marchio Miſniæ & Landgrauius Turingiæ primus ex ea familia à SIGISMVNDO Imperatore accipit Electoris dignitatem, Anno 1423.

HENRICVS Dux Megalburgenſis Suerini obijt, Anno Chriſti 1552. etatis Anno 73.

Anno 1531. natus eſt Iſlebiæ Dominus D. PAVLVS CRELLIVS mane inter ſecundam & tertiam.

Anno 1536. natus eſt BVRCHARDVS comes in Barbi, comitis VVolfgangi Filius.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. # VII. FEBRVAR.

MEXEIP. VII. IDVS.

M

VIII. FEBRVAR. שְׁבָט XI.

VI. IDVS. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

FLATVS FAVONII VERIS INITIVM à Romanis habitum est, vt ait Plinius lib. 2. cap. 47. Item lib. 18. cap. 26.

HENRICVS IIII. cum Saxonibus, quorum Dux erat Rodolphus Sueuus Imperatoris Henrici affinis tertium prælium commisit in Turingia, iuxta Fladenheim Anno 1080.

Koburgi mortuus est Illustriss. princeps IOHANNES ERNESTVS Dux Saxoniæ, Ducis IOHANNIS Electoris filius ex Margarita filia VVoldemari Principis Anhaldini, sorore VVolffgangi Principis Anhaldini, Anno 1553.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. IX. FEBRVAR.

ΜΕΧΕΙΡ. V. IDVS.

VDALRICVS Dux VVirtebergensis natus est, Anno 1487. hora sexta ante meridiem.

GEORGIVS HARTMANNVS ciuis Noribergensis, insignis Mathematicus, & excellens artifex fabricandarum machinarum varij generis, nascitur Anno Christi 1489. post Solis occasum.

X. FEBRVAR. שְׁבָט XI.

IIII. IDVS. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

Generosus Dominus ANDREAS *ab Vngnad Baro in Sonneck & Frauenburg natus est, Anno 1499. hora 8. M. 45. P. M.*

LOTHARIVS *Elector Saxoniæ vicit Henricum V. Imperatorem Anno 1115. cui postea in Imperio successit, natus è Comitibus de Supplinburg in Hercinijs.*

FRIDERICVS II. *Marchio Brandeburgensis, Elector, Friderici I. filius, qui primus scripsit se, Stetini & Pomeraniæ &c. Ducem, & propter fortitudinem charus fuit Vladislao Iagellonis filio, Regi Polonorum, obijt Anno 1470.*

Henrico II Regi Galliarum primus filius hoc die natus est et ipsi inditum nomen ayj Francisci Anno 1544.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. XI. FEBRVAR.

MEXEIP. III. IDVS.

NOHA *die quadragesimo post conspecta cacumina montium, emisit corvum exploratorem ex Arca, & post illum Columbam, quæ eodem die reuersa est, Gene. 8.*

M. IOHANNES STIGELIVS GOTTHANVS, *Poëta excellens & vir optimus, Ienæ obijt, nondum completo anno ætatis 47. Anno Christi 1562.*

XII. FEBRVAR.

שְׁבָט XI.

PRIDIE IDVS. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

HALI filius Abenragel Arabs, insignis Mathematicus nascitur Anno Christi 356. hora 10. ante meridiem.

FRIDERICVS Dux Lignicensis & Brigensis senior nascitur Anno 1480. dodrante horæ post quartam pomeridianam.

HERMANNVS BONNVS Lubeci obijt Anno 1548.

OTTHO HENRICVS Palatinus Rheni ELECTOR, reducta in Ecclesias Palatinatus syncera Euangelij doctrina, & liberaliter dotata & reformata ACADEMIA HEIDELBERGENSI moritur Anno Christi 1559. etatis 57.

XIII. FEBRVA.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ· MEXEIP. IDVS.

Ouidius de Idibus Februarij loquens inquit:

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus aruis,
Tercentum FABII ter cecidere duo. 2. Fast.

Plutarchus in Camillo scribit: Περὶ τὰς Φεβρουαρίας ἰδοὺς *Gallos Senones à Camillo vrbe Roma eiectos, & difficili prælio cæsos esse, cum 7. totos menses tenuissent Romam excepto Capitolio. Camillo 49.*

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. **XV. FEBRVAR.**

MEXEIP. XV. CAL. MAR.

חֲמִשָּׁה־עָשָׂר בְּשֶׁבָט׃

Decimaquinta in Sebat, Iudæi celebrant conuiuia, quòd tunc incipiat noua pars anni, qua redit succus in arbores.

LVPERCALIA. *Dies dictus Februatus.*

Ouid. 2. Fast.

Hoc die Caio Iulio Cæs. Dictatori perpetuo, Marcus Antonius Conf. iussu populi Rom. regnum detulit, sed Cæsar eo vti noluit, Cic. 2. Philip.

CONRADVS Sueuus Imp. FRIDERICI Sueuiæ Ducis filius, princeps fortiss. obyt, Pabergæ, Anno à nato Christo 1152. sepultus in monasterio ducatus Vuirtebergensis Lorch.

BARNIMVS Dux Pomeraniæ, Ducis Philippi filius quintus, nascitur, Anno 1549. quadrante horæ ante secundam noctis, paulò ante diluculum.

ALBERTVS Comes Barbensis VVolfgangi Filius, natus est anno 1534. sesquihora ante duodecimam meridiei.

XIIII. FEBRVAR. שְׁבָט XI.

XVI. CAL. FEBR. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

ERICVS Senior, Dux Brunsuicensis, ERICI pater, natus est anno 1455.

Anno 1515. nascitur FRIDERICVS Palatinus Rheni, Ducis IOHANNIS Simmerensis filius, ELECTOR, qui Anno 1559 mortuo Electori OTTHONI HENRICO successit.

GISELA Imperatoris CVNRADI Saliqui coniunx, cui postremo nupta peperit HENRICVM III. Imp: nobilissima Domina, LOTHARII Regis Franciæ filia, nupta prius Brunoni Marchioni Saxoniæ, deinde Ernesto Duci Sueuorum, obyt Anno 1043: relinquens ex tribus maritis superstites liberos.

Inclytus Dux Pomeraniæ PHILIPPVS I. Ducis GEORGII filius, placidiss. morte obyt in arce VVolgast, mane hora 6. relinquens superstites V. filios, & tres filias ex coniuge D. MARIA, filia opt. Principis IOHANNIS Ducis Sax: Electoris, Anno 1560.

XVI. FEBRVA.

שְׁבָט XI.

XIIII. CAL. MARTII. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

IOHANNES STOFLERVS Iustingensis Mathematicus excellens, & Vir integerr. moritur Tubingæ, anno Christi 1531. Anno ætatis 79. Natus est anno Christi 1452.

Nascitur PHILIPPVS MELANTHON Anno 1497. minut. 6. post horam septimam pomeridianam in oppido Palatinatus Bretta, cuius latit. 49.

GEORGIVS IOACHIMVS RHETICVS nascitur in oppido Feltkirch Anno Christi 1514. minutis nouem ante horam secundam matutinam.

IOHANNES CHRYSOSTOMVS, ex Antiochia Præsbyter euocatus literis ARCADII Imperatoris, præficitur Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus in locum defuncti Episcopi Nectarij Anno Christi 401. quarto anno post mortem Theodosij magni, Trip: lib. 10. cap. 3.

IOHANNES STRVBIVS Stauffensis Medicus & Senator VVitebergensis, natus est anno Christi 1488. in oppido Brisgouiæ Stauffen, distante 4 miliaribus à Basilea.

XVII. FEBRVA.

ἘΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. XIII. CAL. MAR.

ΜΕΧΕΙΡ.

CAROLVS BVRBONIVS, qui in expugnatione proxima vrbis Romæ, globo Bombardæ ictus occubuit, hoc die, natus est, Anno 1489. minutis 40. ante tertiam horam matutinam in vrbe Galliæ, cuius latit. 45. Gra. & Caietæ in arce sepultus est.

IOVINIANVS Imperator pius, Pannonius, χιλιάρχος, & successor Iuliani Apostatæ, mense octauo, postquàm erat à militibus salutatus Augustus, dum reducit exercitum Iuliani ex Persia, in prædio quodam Dadastana sito inter Galatiam & Bithiniam, afflictus fœtore conclauis recens inducti tectorio, hoc die repente moritur, anno ætatis 33. Christi 367. relicto filio VVaromaunr, quem Ancyræ in Galatia renunciauit Imperatorem. Niceph. lib. 10.

Donatus una cum Juliano educatus est, et cum Gothi in Italia crudelius grassarentur à præfecto quodam decollatus est Anno 380.

In extrema cauda LEONIS fulgens vesperi oritur.

XVIII. FEBRVA.

שְׁבָט XI

XII. CAL. MARTII. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

NOHA iterum emisit columbam, quæ circa vesperum ad Arcam rediens, decerptam oleæ frondem rostro attulit, Gen. 8.

QVIRINALIA *Romæ celebrata, dicta etiam festum* STVLTORVM. *Item* FORNACALIA.

Item FERALIA *Ouid. 2. Fast.*

Hanc quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem,
Vltima placandis manibus illa dies.

M. Popilius Lænas III. COS. Triumphum egit Quirinalibus de Gallis, anno vrb. 403.

L. Fuluius Curuus & Q. Fabius Max. Rullianus COSS. *de Samnitibus & Apulis, Anno vrb. 431.*

Q. Fabius Max. Gurges COS. *de Samnitibus, Lucanis, Brutijs, Anno vrb. 477.*

C. Claudius Canina COS. *de Samnitibus. Anno vrb. 480.*

C. Sulp. Gallus propr. de Illyrijs Anno vrb. 585.

Doct. MARTINVS LVTHERVS *repurgator cœlestis doctrinæ, moritur Islebiæ, Anno 1546. die Concordiæ, quo die etiam conuentus Ratisbonensis dissolutus est, & paulò post bellum in Germania exarsit.*

VALERIVS CORDVS, *illustrator Dioscoridis & fœlicissimus indagator herbarum hactenus ignotarum, natus est Anno 1515. hora quarta pomeridiana.*

XIX. FEBRVAR.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. MEXEIP. XI. CAL. MAR.

CHARISTIA *Festum à cognatis in familijs celebratum Romæ. Ouidius 2. Fast.*

Scilicet à tumulis, & qui periere propinquis,
Protinus ad viuos ora referre iuuat.

NICOLAVS COPERNICVS nascitur Anno Christi 1473. minutis 48. post quartam horam pomeridianam. Moritur anno 1543.

M. ERASMVS REINHOLDVS Salueldensis, Mathematicus excellens, & pietate præstans vir, tabe moritur in patria, in complexu parentum superstitum, dominica Inuocauit mane hora 1. anno ætatis 42. climacterico sexto, anno 1553.

GEORGIVS ALBERTVS Marchio Brandeburgensis, IOHANNIS GEORGII Marchionis F. IOACHIMI II. Electoris nepos, nascitur Berlini. Anno 1555.

Theophorus homo græcus hoc die in IX Episcopum Rom: elig̃tur. Idem primus Christianos ieiunium imposuit. Anno 129.

XX. FEBRVAR.

X. CAL. MARTII.

שְׁבָט XI.

ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

D. GREGORIVS PONTANVS Iuris vtriusq; Doctor, Ducum Saxoniæ IOHANNIS patris, & IOHANNIS FRIDERICI filij ELECTORVM Cancellarius mortuus est Ienæ, cùm vixisset vltra 70. annos, Anno Christi 1557.

Iohannes Naūiūs Caroli V Consiliarius & imperij Vicecancellarius moritur Anno 1547.

XXI. FEBRVA.

ΑΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ.

MEXEÍP.

IX. CAL. MAR.

LADISLAVS Alberti Austriaci filius Rex Vngariæ & Boiemiæ natus est, anno 1440. quadrante horæ post decimam pomeridianam.

IOACHIMVS I. Marchio Brandeburgensis, IOHANNIS Electoris & Margaritæ filiæ VVilhelmi Ducis Sax: filius, ELECTOR, natus est anno 1484. nouem minutis ante vndecimam noctis.

IACOBVS MILICHIVS Artis Medicæ Doctor, nascitur mane semisse horæ post primam horam ante diluculum, Anno 1501. Friburgi Brisgoiæ.

ALEXANDER Dux Saxoniæ, Ducis AVGVSTI ELECTORIS filius nascitur Anno 1554. quadrante horæ post secundam horam matutinam Dresdæ.

SIBYLLA nata in Ducali familia Iuliacensi, & Cliuensi, nupta IOHANNI FRIDERICO Duci Saxoniæ ELECTORI, hoc die piè decessit VVimariæ Anno 1554. quam vndecimo die eiusdem Mensis post, maritus subsecutus est.

XXII. FEBRVA. שְׁבָט XI.

VIII. CAL. MAR. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

CATHEDRA PETRI.

Hoc die corpus LVTHERI *Islebia Vuitebergam translatum sepelitur in templo Arcis cum maximo omnium & luctu propter orbitatem, & metu impendentium & mox secutorum malorum publicorum.*

Hoc die Carolo V primùm Bononiæ Corona ferrea est imposita, & die 24 Corona Aurea. Anno 1530

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. MEXEIP.

XXIII. FEBRV.

VII. CAL. MAR.

TERMINALIA.

DIES INTERCALARIS.

SEXTO CAL. MAR.

C. Duilius primus naualem triumphum de Siculis & classe Pœnica egit. K. interkalar. anno vrb. 493.

P. Cornelius Lentulus Caudinus COS. de Liguribus triumphum egit anno vrb. 516 Idibus Interkalaribus.

ΕΔΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. MEXEIP.

XXIIII. FEBRV.

VI. CAL. MAR.

MATTHIAS APOSTOLVS.

NOHA postremam columbam emisit, quæ non est reuersa.

REGIFVGIVM *Romæ celebratum, quod hoc die sint eiecti Tarquinij ob tyrannidem & libidinem. Ouid. 2. Fast.*

MATTHIAS CORVINVS Rex Hungariæ, Iohannis Huniadis filius nascitur, horæ 3. matutinæ, Anno 1443. præcedente cladem Varnensem.

Eodem die eademq; hora CAROLVS V. IMP. ROM. PHILIPPI Regis Hisp. F. natus est in Flandriæ vrbe Gandauo, Anno 1500. besse vnius horæ post tertiam matutinam, polo eleuato ad gradus 54. 24.

Eodem die, vt quidam scribunt, idem CAROLVS V. Coronam Imperij Romani accepit à Pontifice CLEMENTE VII. Bononiæ, anno 1530.

Eodem die, auspicijs CAROLI V. Imperatoris captus est in prælio ad Ticinum FRANCISCVS Rex Galliæ, anno 1525.

Eodem die, idem CAROLVS V. Augustæ in Imperiali conuentu in præsentia V. ELECTORVM Duci Saxoniæ MAVRICIO Ducis Henrici filio, iura & dignitatem Electoratus Saxonici solenni ritu contulit, Anno 1548.

Eodem die natus est IOHANNES PICVS Mirandula, anno 1463. mortuus postea anno 1494. ætatis anno 31.

Eodem die natus est M. SEBASTIANVS FROSCHELIVS Ambergensis, fidelis Dei minister in Ecclesia VVitebergensi, Anno 1497. quadrante horæ ante medium noctis.

Dominus Matthias Chesselius superintendens Ecclesiæ in Northeim, M. Iohannis Chesselij pater, natus est die & anno eodem, quo Froschelius.

Anno 1511. natus est in Franciæ oppido Hammelburg, Dominus M. MATTHIAS VVanckel præpositus Kembergensis Ecclesiæ.

M. Iohannes Durstenius Pastor Ecclesiæ Pelcensis natus est Anno 1502.

XXV. FEBRVA.

שְׁבָט XI.

V. CAL. MAR. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

Extincto Iouiniano Imperatore, ab exercitu creatus est Imperator VALENTINIANVS Pannonius ex Cobali, Anno Christi 367.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. XXVI. FEBRVA.

ΜΕΧΕΙΡ. IIII. CAL. MAR.

Fridericus Palatinus Elector hoc die moritur, anno 1556.

XXVII. FEBRVA. שְׁבָט XI.

III. CAL. MARTII. ΠΕΡΙΤΙΟΣ.

EQVIRIA *in campo Martio. Ouid.*

Anno 1536. Torgæ celebrauit nuptias Illustriss. princeps PHILIPPVS *Dux Pomeraniæ, cum Domina* MARIA *Iohannis Friderici* ELECTORIS *sorore.*

FRIDERICVS *Dux Saxoniæ, Ducis Georgij filius moritur anno 1539. anno ætatis 35. quinto climacterico.*

MARTINVS BVCERVS *Theologus eruditißimus in Angliæ oppido Cantabrigia, exul moritur, Anno Christi 1551.*

Anno 1547. VVitebergæ mortuus est D. LAVRENTIVS ZOCH *Halensis, I. V. Doctor, gener Doctoris* HIERONYMI SCHVRFII *celeberrimi Iureconsulti.*

Eodem die, & anno, in Borußiæ vrbe obijt honesta fœmina ANNA *coniunx cl. Poëtæ, Doctoris* GEORGII SABINI, *filia incomparabilis viri Domini* PHILIPPI MELANTHONIS.

IOHANNES DVMERICH *Halensis Artis Medicæ Doctor, natus est Anno 1525.*

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ. MEXEIP.

XXVIII. FEBRV.

PRIDIE CAL. MAR.

PAVLVS III. PAPA *natus est Anno 1468. minutis 16. post quintam matutinam. Mortuus est nona die Nouembris, 1549. paulò ante initium Iubilæi, anno ætatis* LXXXI. *Climacterico.*

Hoc die Lucius IVNIVS BRVTVS, *qui Reges eiecerat Roma ob vi stupratam Lucretiam, primus consul in prælio contra Tarquinios, quos Hetrusci vi reducere in regnum conabantur, congressus cum* ARVNTE *Regis filio, hostem quidem primo impetu occidit, sed ab eodem lætaliter ipse quoq; vulneratus, ibidem expirauit, cùm post expulsos Reges, hoc est, à Calendis Iunij anni præcedentis, consul fuisset menses nouem: Plutarchus Publicola.*

P. CLODIVS *turbulentus ciuis, hostis Ciceronis & aliorum bonorum, à Milone hoc die occisus est in via Appia, non procul à sacrario Bonæ Deæ, cuius sacra prius in domo Iulij Cæsaris violauerat, & cum cadauer eius in curia cremaretur, incendium exortum est, quo curia conflagrauit. Asc. Pedia:*

PHILIPPVS GVNDELIVS, *Iuris V. D. natus est Patauiæ, Anno 1493.*

L. *Scipio Asiaticus cognomento, triumphauit de Antiocho Rege.*

ALBERTVS Dux Bauariæ Vvilhelmi filius, FERDINANDI Imperatoris Rom. gener, nascitur Anno 1528. bissextili, 29. die Februarij, duabus horis ante meridiem, hoc est, hora decima prandij, eleuato Polo gradib. 48.

MARTIVS.
אֲדָר ADAR.
DVODECIMVS.
Esther 3.

Post hunc mensem, ante initium anni, hoc est, ante mensem Nisan, Iudæi inserunt tredecimum mensem ἐμβολιμαῖον tertio quoq; aliquando etiam altero anno, collectum ex vndecim Epactis, vocantq; eum וְאֲדָר id est, & Adar, quasi alterum Adar.

ΔΥΣΤΡΟΣ.

SVIDAS: Δύστρος ὁ Μάρτιος μὴν παρὰ μακεδόσιν.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ.

VARINVS: Μουνυχιὼν ὁ δέκατος μὴν παρ' ἀθηναίοις. In Suida malè legitur δεύτερος pro δέκατος. Hoc mense celebrata esse Athenis ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ testatur Dionysius Halicar. lib. 2. ἀρχαιολογίας.

ΦΑΜΕΝΩΘ.

Euocat ad studium puerile GRegorius agmen.
Æterni patris gnatum MAriæ tenet aluus.

I. MARTII.

CALENDAE.

אֲדָר XII.

ΔΥΣΤΡΟΣ.

MATRONALIA.

Nouus ignis in Ara Veſtæ accendebatur, pro aridis Laureis virentes ſubſtituebantur in faſcibus Conſularibus, in ædibus Regis ſacrorum flaminum, Veſtalium & curia.

Salij arma Martis Ancilia circumferebant Mamuriumq; canebant. Vectigalia locabantur.

Feſtum, quo Romani celebrabant memoriam mulicbris prudentiæ & fortitudinis, eò quòd olim raptæ Sabinæ duas acies iam infeſtis armis concurſuras ſuo interuentu diremiſſent, & patres ſuos ac cognatos Sabinos Romanis maritis conciliaſſent.

Idem dies eſt natalis poëtæ MARTIALIS, *qui lib. 10. inquit: Natales mihi Martiæ Calendæ.*

Calendis Martijs Sylla expugnauit Athenas, & ſatis crudeliter ſæuijt in ciues, vt refert Plutarch. qui hunc menſem cum Athenienſi Antheſterione coniungit, errore fortaſſis Librariorum.

MOSES mortuus eſt, agens annum ætatis CXX. Ἐτελεύτησε ὁ τῶ ὑψίστῳ μιλὼι ἔτος ὢν μὲ μακεδόνων δύσις καλεμβύε, Ἀδάρ ὑφ' ἡμῶν νεμηνία. *Ioſeph. ſine libri 4.*

L. AEmilius Mamercinus Priuernas, & C. Plantius Decianus COS. triumphum egerunt de Priuernatibus anno vrb. 424.

Q. Luctatius Cerco COS. de Faliſcis anno vrb. 512.

M. Claudius Marcellus COS. de Gallis, inſubribus & Germanis, quando etiam opima ſpolia retulit, duce hoſtium Virdumaro ad Claſtidium interfecto, anno vrb. 531. de quo Virgilius lib. 6. AEn.

LADISLAVS Caſimiri Regis Poloniæ filius Rex Vngariæ & Boiemiæ natus eſt, anno 1456. dodrante horæ poſt 7. pomeridianam, obijt anno 1516. 13. Martij ſexagenarius.

ALBERTVS Marchio Brandeburgenſis oppreſſus inopinato aduentu exercitus Ducis Iohannis Friderici Electoris Saxo. Rochlicij capitur 1547.

Anno 1552. nata eſt ANNA, ſecunda Filia VVILHELMI Ducis Iuliacenſis mane inter 4 & 5.

Bernhard Princeps in Anhalt 21. morbis hac die, Anno 1570.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ.

ΦΑΜΕΝΩΘ.

II. MARTII.

VI. NONAS

CAROLVS Dux Burgundiæ, Caroli V. Imperatoris proauus, ad Granſen fugatus ab Heluetijs, amiſſis caſtris & præda æſtimata 30. auri Tonnarum precio, ægrè euaſit, cùm paulò antè capto oppido Granſen, ex arboribus ſuſpendiſſet quingentos milites præſidiarios in oppido inuentos, Anno 1476.

Sexto anno poſt hanc cladem 1482. eiuſdem Caroli filia MARIA nupta MAXIMILIANO Cæſari, equo lapſa, cùm fracto femore omnem tractationem loci affecti per verecundiam refugeret, eodem die obijt, anno quinto poſt triſtem patris Caroli interitum, relicto filio PHILIPPO quadrimo, & filia Margarita.

Anno 1522. natus eſt Suinfordiæ Dominus D. HENRICVS SALMVT Paſtor Eccleſiæ Lipſenſis ad D. Thomam hora 2. Pomeridiana.

III. MARTII.

אֲדָר XII.

V. NONAS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

KVNIGVNDA,

Filia Sigfridi Palatini Rheni HENRICI *Secundi Imp. dicti Bombergenſis coniunx, mater pauperum obijt anno 1039. Annis 15. poſt mortem mariti, ſepulta Bombergæ.*

Hoc die Menſis Adar extructum de integro templum Hieroſolymitanum poſt exilium Babylonicum, & abſolutum anno ſexto regni Darij, magna celebritate ſacrificiorum & leticia populi dedicatum eſt, 1. Eſd. 6: Annis 515. ante Chriſtum natum. Fuerat autem ædificatio à vicinis Samaritanis impedita à ſecundo anno Cyri vſq; ad ſecundum annum Darij ſedecim totos annos, 3. Eſdræ 7. nominatur viceſimus tertius dies menſis Adar.

IOHANNES FRIDERICVS *Dux Saxoniæ Elector piè & placidiſsimè obijt, vndecimo die poſt mortem coniugis, VVimariæ, ibidemq; ſepultus, Anno 1554.*

ALBERTVS *Dux Megalburgenſis, Ducis* IOHANNIS ALBERTI *F. Alberti Senioris Marchionis Brandeburgenſis, primi Ducis Boruſſiæ Nepos, Regiomonti obijt, Anno 1561. trimeſtri maior quadrimo, cum eſſet natus 19. Decembris Anno 1556.*

Anno 1560. Nuptias celebrauit Ioachimus ERNESTVS *Princeps Anhaltinus cum* AGNE *Filia VVolfgangi comitis Barbienſis Dominica Inuocauit.*

M. MATHIAS FLACIVS ILLYRICVS *nefarius Eccleſiæ Chriſti Turbator, per Germaniam infœlici partu editus eſt, Anno 1521. circa medium noctis ſecutæ hunc diem.*

IIII. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ.

ΦΑΜΕΝΩΘ. IIII. NONAS.

GEORGIVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS, FRIDERICI V. & SOPHIÆ Filiæ Caſimiri III. Regis Polonorum Sororis Vladiſlai Regis Vngariæ, & Sigiſmundi Regis Poloniæ filius, naſcitur minutis 12. poſt primam horam mane, ante diluculum, Onolsbachij, Anno 1484.

M. Manlius Torquatus Atticus II. COS. de Faliſcis triumphum egit Anno vrb. 512.

GEORGIVS Dux Pomeraniæ, Ducis Philippi primogenitus naſcitur anno 1540. intra horam 10. & 11. poſt meridiem, mortuus eſt puer.

Anno 1561. CAROLVS *princeps Anhaltinus, Principis* IOHANNIS *filius tertius, obijt Serueſtæ, Anno ætatis 27.*

Patauium Italiæ penè totum exuſtum eſt, anno Chriſti 1174. igni abſumptis ædificijs circiter 2614.

V. MARTII.

אדר XII.

III. NONAS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

L. Papirius curſor Dictator de Samnitibus triumphum egit anno vrb. 429

C. Papirius Maſo COS. de Corſis triumphum egit primus in Albano monte, anno vrb. 522.

L. AEmilius Papus COS. de Gallis anno vrb. 528.

CHRISTOPHORVS PEZELIVS Theologiæ Doctor natus eſt PLAVIÆ in Nariſcis, Anno Chriſti 1539.

Anno 1516. natus eſt Gothæ VALENTIANVS ENGELHART, excellens Mathematicus.

VI. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. PRIDIE NON.

ΦΑΜΕΝΩΘ.

Athenis ducebatur quotannis pompa puellaris ſupplicatum ad templum Apollinis Delphinij in memoriam Theſei, qui hoc die cum iuuenibus & puellis miſſus in Cretam, nauem conſcenderat, magna cum mœſticia ciuitatis & parentum. Plutarchus Theſeo.

CARAFA Cardinalis ſtrangulatus eſt in carcere, iuſſu Pij IIII. Pontificis. Corpus conditum eſt in Maria Tranſpontina.

ΠΡΟΤΡΥΓΗΤΗΣ veſperi oritur.

VII. MARTII. אֲדָר XII.

NONAE. ΔΥΣΤΡΟΣ.

TRAIANVS Imperator propter iram in febrim incidens obijt ventris profluuio, Nigro & Aproniano Coss. Anno Christi 118.

BENEDICTVS PAVLI I. V. Doctor, VVitebergæ natus est anno 1490. quo anno Rex Vngariæ Matthias mortuus est, cùm duxisset Ratianos in Silesiam.

S. Thomas Aquinas obijt anno Christi 1270. ætatis 70.

VIII. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. *VIII. IDVS.*

ΦΑΜΕΝΩΘ.

IOHANNES Christierni Captiui Regis Danorum filius nascitur anno 1517. dodrante horæ post sextam pomeridianam.

Anno 1536. in Italia moritur Iohannes Manardus Medicus Ferrariensis.

Anno 1562. Dominica Lætare hora prima post medium noctis, inchoantis Ciuili consuetudine diem lunæ post Lætare, Illustriss. Coniunx Ducis Augusti Elect. enixa est Filiam, quæ paulo post Baptisata, accepit nomen MARIÆ.

2

IX. MARTII.

אֲדָר XII.

VII. IDVS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

HIERONYMVS BOMGARTNERVS nascitur Noribergæ anno Christi 1498. triente horæ ante septimam vespertinam.

VVENCESLAVS Archidux Austriæ, MAXIMILIANI Rom. Vngariæ & Boiemiæ Regis filius, FERDINANDI Imperatoris nepos nascitur in Austriæ oppido Neustat, horæ 10. antemeridiana, Anno Christi 1561.

ARCTVRVS vesperi exoritur.

X. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. VI. IDVS.

ΦΑΜΕΝΩΘ.

Dies ♐ *DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS postremo anno suæ conuersationis in hoc mundo, commorans vltra Iordanem, accipit nuncium de lætali ægritudine LAZARI amici sui, quam dicit non fore ad mortem, Iohan. 10. & 11.*

FERDINANDVS Romanorum, Vngariæ & Bohemiæ Rex &c. Caroli V. Imperatoris frater & successor in Imperio, nascitur in regno Castiliæ Medinæ anno 1503. horæ decimæ & dodrante post meridiem.

T. Manlius Torquatus COS. de Sardis triumphum egit anno vrb. 518.

C. Flaminis COS. de Gallis anno vrb. 530.

IOHANNES Geilerus Keisersberg, eruditus & pius concionator Argentinensis, carus Imperatori Maximiliano, obijt anno 1510. Anno ætatis 65.

Hoc die, anno 1272. sepultus est in templo S. Dominici Bononiæ, Henricus F. Friderici II. Imp. per annos 22. captiuus ibidem detentus, cum quidem pro eo liberando pater cathenam auream promisisset, quæ vrbis mœnia cingeret.

XI. MARTII.

אֲדָר XII.

V. IDVS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ☿ *Mansit* CHRISTVS *in eodem loco, vltra Iordanem cum discipulis, vbi Iohannes prius baptizauerat. Iohan. 11.*

IOHANNES VVILHELMVS filius IOHANNIS FRIDERICI Ducis Sax. Elect. natus est, anno 1530. hora dimidia post tertiam matutinam, in eleuatione 52.

L. Cornelius Scipio COS. de Pœnis & Sardinia & Corsica triumphum egit anno vrb. 494.

ALBERTVS Marchio Brandeburgensis, dictus Achilles Germanicus, moritur Francofordiæ ad Menum, cum eligeretur MAXIMILIANVS in Regem Romanum, Anno 1486. Anno ætatis 72.

Doctor VVENCESLAVS LINCK fidelis Euangelij præco in Ecclesia Noribergensi, moritur anno 1547.

Mathias Flacius Illyricus, moritur Francofurti ad Moenum. Anno M.D.LXXV.

XII. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ.

IIII. IDVS.

GREGORIVS.

Dies ♄ *CHRISTVS adhuc manet vltra Iordanem, & ratio dierum videtur ostendere, illum fuisse diem Sabbati. Hic autem eum commorantem Pharisæi tentantes interrogant: Vtrum liceat qualibet ex causa dimittere vxorem, Matth. 19. Marc. 10. Ibidem etiam allatos ad se paruulos Christus amanter complectitur, clarè pronuncians, TALIVM ESSE REGNVM COELORVM.*

P. Furius Philus COS. triumphum egit de Gallis & Liguribus anno 530.

CASPARVS OTHMAIR excellens Musicus nascitur Anno 1515. inter secundam & tertiam post meridiem.

Anno 1546. die 22. post mortem Lutheri, subitò liquefactis niuibus montanis, & rupta glacie Albis fluuij, illisis in pontem ligneum crustis grandioribus, prope VVitebergam, duo magna iuga, hoc est, sexta pontis pars abrepta est. Secutum est in Iulio initium eius belli, quod Imperator Carolus V. gessit contra confœderatos Smalcaldicos.

Prælium inter Lotharium Imperatorem, & Vlricum Boiemiæ ducem commissum est, in quo Author belli Ottho Dux Morauiæ interficitur Anno 1126.

Hoc die Anno 1517. Lipsiæ natus est Hieronymus Rauscher Consul Lipsensis.

Rodolphus I. ex familia Anhaltina Elector Saxoniæ decimus, obijt anno 1356. cum ditionem suam vexisset annos 58. Vnde etiam Senior appellatus est.

XIII. MARTII.

אֲדָר XII.

III. IDVS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ☉ Hoc die mortuus est LAZARVS frater Marthæ & Mariæ. Et CHRISTVS spiritu sentiens, mortem illam discipulis indicat, & iter instituit à Iordane versus Iudæam, vt Lazarum resuscitet. Accedens autem ad HIERICHO, in via sedentem cœcum sanat, Lucæ 18. Ingressus vrbem ZACHEVM conspicatus principem Publicanorum & ditissimum, apud eum diuertitur & pernoctat, Lucæ 9.

תַּעֲנִית אֶסְתֵּר Hoc die celebrant Iudæi triste Festum, quod ab ipsis nuncupatur IEIVNIVM ESTHER. Nam is dies destinatus fuerat occisioni gentis Iudaicæ, missis edictis Regis ASSVERI in omnes prouincias, quæ mandabant deleri vniuersum nomen Iudæorum, Esther 3. Sed postea impetratis per MARDOCHEVM aliis edictis à Rege Assuero, eodem die Iudæi permissu Regis interfecerunt Ethnicos vim parántes in ijsdem ciuitatibus ad 75000, Esther 9.

Idem dies celebris factus est insigni victoria IVDÆ MACCHABEI, occiso exercitu Antiochi cum duce NICANORE, 2. Macch. vltimo capite. Et Ioseph. lib. 12. Capite 17.

LAZARVS SPENGLER Vir sapiens & Pius, Syndicus Ciuitatis Noribergensis natus est Anno 1479. obijt calculo Anno 1534.

XIIII. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ. PRIDIE IDVS.

CHRISTVS egrediens Iericho sanat cœcum Bartimeum. Marci 10. & vlterius progressus alijs duobus cæcis visum restituit, Matth. 20.

פּוּרִים א Hæc dies XIIII. mensis Adar, 2. Maccha, vltimo capite vocatur ΜΑΡΔΟΚΑΙΚΑΗ ΗΜΕΡΑ, à Iudæis autem dicitur prior dies PVRIM. Nam hoc die Iudæi extra Susa habitantes, à cæde ciuium vim parantium desistentes, epulis & hilaritatibus sese dederunt, læti propter insperatam conuersionem extremi periculi in summam tranquillitatem, Esther 9. Suntq; hæc IVDÆORVM BACCHANALIA, quibus diebus legunt historiam Esther, vbi, quoties fit mentio Aman, pugnis & malleis pulsant scamna in Synagogis.

In celebri Saxoniæ oppido Bernburg cœnobium fuit olim, vbi nunc est Nosocomium. In eius templo statua lignea CRVCIFIXI sub concionem sudorem emisit ita copiosum, vt guttæ destillarent. Cumq; adolescens admotis scalis iussus ascendere, linteo sudorem absterssisset, cœpit denuò per omnia membra totius corporis guttatim extillare sudor, cumq; fermè quatuor horas durasset illa liquoris effusio, deposita statua quæsitum est, num aliqua arte aqua illa per ligneam statuam percolaretur. Sed cùm nihil fraudis vsquam inueniretur, illata est intra sacrarium statua, vbi sudare desijt, neq; ante id tempus, neq; post quicquam simile, in hac, vel alia statua illius loci deprehensum est, Anno 1551.

D. SIGISMVNDVS TORDA GELOVS, VNGARVS, Gener Domini VVerneri, Consiliarius Cæsareus Fisci Vngarici obijt Posonij, Anno 1569.

Fulgida in CORONA vesperi exoritur.

XV. MARTII. אֲדָר XII.

IDVS. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ♂ CHRISTVS adhuc in itinere ab Iericho versus Bethaniam commoratur.

פּוּרִים ב *Alter dies Purim, quo Iudæi in Susis habitantes biduum occupati trucidandis, ex permissu Regis, hostibus suis in eadem vrbe commorantibus, arma deposuerunt, ad epulas ac conuiuia conuersi. Quem diem cum priore Iudæi hodie quoq; omni genere lætitiæ quotannis celebrem agunt, Esther 9.*

ANNAE PERENNAE *festum geniale Romæ, quo coniuges cum liberis, vt Ouidius ait:*

Protenus erratis læti vescuntur in agris,
Et celebrant largo seq; diemq; mero.
Et rursus: Annosq; precantur,
Quot sumunt Cyathos, ad numerumq; bibunt. 3. Fast.

Hic dies postea dictus est PARRICIDIVM, *eò, quòd idibus Martijs C. IVLIVS CÆSAR Dictator à sexaginta coniuratis, de quibus ipse optimè fuerat meritus, in Senatu collecto in Curia Pompeij, viginti tribus vulneribus confossus est. Anno ætatis sexto & quinquagesimo, Climacterico Octauus. Suetonius. Flor. lib. 116.*

M. Valerius Coruus III. COS. de Calenis triumphum egit anno vrb. 418.

M. Pomponius Matho, COS. de Sardis anno vrb: 522.

FRIDERICVS *Dux Saxoniæ, Ducis Georgij filius nascitur Anno 1504.*

Ludouicus Palatinus Elector obijt, anno Christi 1544.

XVI. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ. XVII. CAL. APRIL.

Dies ☿ CHRISTVS quarto demum die post mortem LAZARI, Bethaniam perueniens, illum in vitam verbi sui efficacia reuocat, Iohan. 11.

ATHENIENSES *duce Themistocle nauali prælio vicerunt ingentem classem* XERXIS AD SALAMINEM *16. die Munychionis, Plutarchus in vita Lysandri pag. 151.*

Eo ipso die, quo commissa est pugna naualis ad Salaminem natus est EVRIPIDES, ἀπέθανε δ' ὃν καθ' ἣν ἐγένννήθη Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων.

Eodem die mensis Munychionis, annis 78. post victoriam Salaminiam, LYSANDER CEPIT ATHENAS, *victa prius Athenienſium classe ad AEgospotamos. Plutarch. in vita Lysand.*

Eodem die mortuus est TIBERIVS CÆSAR, *anno 39. post natum, quinto post crucifixum & resuscitatum Christum.*

HEINRICVS DVX SAXONIÆ *Ducis* ALBERTI F. GEORGII *frater, hæres, & successor, nascitur anno 1473. minutis septem ante duodecimam meridiei.*

Anno 1547. FRANCISCVS VATABLVS *trium linguarum peritissimus, & Ebrææ publicus professor in Academia Parisiensi,* IACOBVS, *item* TVSSANVS *Græcæ linguæ ibidem professor, vt vno die legendi prouinciam susceperunt, ita & hoc die simul vitæ functi sunt.*

IOHANNES OLHAFIVS *Patritius Noribergensis, Ornatissimi V. D.* HIERONYMI BAVMGARTNERI *gener, natus est, Anno 1520. quadrante horæ ante 8. Vespertinam.*

XVII. MARTII.

אֲדָר XII.

XVI. CAL. APRIL. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ♄ *Post resuscitatum* LAZARVM, *etsi instabat festum Iudæorum, tamen* CHRISTVS *non ingressus est vrbem Ierosolymorum, distantem à Bethania tantum 15. stadijs, sed abijt rursus in regionem iuxta desertum in ciuitatem Ephraim, quæ abest à Ierosolymis 5. miliaribus nostratibus, Ioan. 11. Pontifices enim, vulgato miraculo, cernentes concursum ad* CHRISTVM *in Bethania, deliberabant de opprimendo eo, & mandabant eum inquiri.*

LIBERALIA, *quæ &* BACCHANALIA *Romanorum, quo die virilem togam pueri ingenui sumebant.*

SOLYMANNVS *Turcarum Imperator nascitur anno 1500. in meridie.*

M. Valerius Max. Messala COS. *de Pœnis & Rege Siculorum* HIERONE *triumphum egit anno vrb. 490. His temporibus inceptt primum bellum Punicum ante Christum natum annis 261.*

M. ANTONINVS *Philosophus Imperator mortuus est, anno Christi 180. de quo Dion ita scribit:* ὅμοιος δὲ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν ἀδενὶ ἠλλοιώθη, ἕως ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ἦν, ἐξ ἀδὲν πεφαυλισμένον εἶχε.

Hoc die inter Iulium Cæsarem, & Cn. Pompeium Magni filium in Hispania prælium committitur ad Mundam oppidum.

Anno 1527 natus est Theologiæ Doctor Sigfridus Saccus, olim Rector Scholæ Magdeburgensis, nunc ibidem concionator.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ.

XVIII. MARTII.

XV. CAL. APRIL.

Dies ♀ *Reuertitur* CHRISTVS *Bethaniam à ciuitate Ephraim, ante sextum diem Paschæ, ibiq; pernoctat, Iohannis 12.*

Templum Iouis Palatini exustum, quo incendio libri Sybillini absumti fuerunt tempore Iuliani Imperat. Marcellinus.

Alciatus philosophus et Doctor Iuris insignis hoc die moritur Paviæ Anno 1548.

XIX. MARTII. אֲדָר XII.

XIIII. CAL. APRIL. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ♄ IESVS Sabbatum quiẽscit in Bethania, cui apparant cœnam sorores Lazari, vbi Martha ministrante, MARIA VNGIT PEDES IESV, fremente Iuda proditore. Cumq; Hierosolymis innotuisset eius præsentia, fit concursus ex vrbe in Castellum vicinum, ad videndum non Christum tantùm, sed & Lazarum à morte resuscitatum, Iohannis 12.

QVINQVATRIA, Natalis Mineruæ.

Ouidius:

Vna dies media est, & fiunt sacra Mineruæ,
Nomina quæ à iunctis quinq; diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa, quòd est illa nata Minerua die.

PHOCION Athenienſis, vir & rerum gestarum magnitudine clarus, et propter merita in patriã perpetua gratitudine dignus, iniusto iudicio populi Athenienſis, gratificantis CASSANDRO regi Macedonico, condemnatus, veneno necatus est 19. die Μουνυχιῶνος. Plutarch. Phocione.

DOCTOR Theologiæ [illegible] SPARVS CRVCIGERVS IVNIOR nascitur quadrante horæ ante o vespertinam Anno 1525.

XX. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ. XIII. CAL. APRIL.

Dies ☉ CHRISTVS die PALMARVM asinæ insidens Hierosolyma ingreditur, & ex templo eijcit ementes & vendentes, Lucæ 19: circa vesperam exit rursus extra vrbem, & pernoctat in Bethania, Matth. 21.

SECVNDVS dies ex QVINQVATRIIS. Natalis PVBLII OVIDII NASONIS qui de se & fratre loquens ait:

Lucifer ambobus natalibus adfuit idem,
Vna celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ de festis quinq; Mineruæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

Natus est autem Hircio & Pansa COSS. vt ipse testatur Elegia 4. Trist. qui fuit annus 40. ante natum Christum, quo Cicero interfectus est.

Anno M.D. LXVIII. è Viuis excessit Pius & Venerandus Princeps D. ALBERTVS I. Dux Borussiæ, Marchio Brandeburgensis, Friderici Onolsbacensis Filius, Alberti Achillis, Nepos, Mane hora VI. Annum ætatis ingressurus ad 17. Maij, nonum & septuagesimum. Et [illegible] die, circa [illegible] horas decimam subsecutæ Maritum, interuallo [illegible] horarum, Coniunx MARIANNA MARIA Filia Ericis senioris Ducis Brunsuicensis [illegible].

XXI. MARTII.

אֲדָר XII.

XII. CAL. APRIL.

ΔΎΣΤΡΟΣ.

Dies ☽ CHRISTVS mane rediens Ierosolymam, in via maledicit FICVI CARENTI FRVCTV. Ingressus templum compescit principes Sacerdotum expostulantes cum ipso Matth. 21. Obturat os Sadducæis & Pharisæis, Matth. 22. Acerrimè inuehitur in Scribas & Pharisæos, Matth. 23. toto cap. Deinde egressus in montem Olueti, sumta occasione à structura templi magnifica, prædicit excidium Ierosolymorum & consummationem seculi, Matth. 24. & 25. & pernoctat in monte Olueti.

Cn. Cornelius Scipio Asina Procos. de Pœnis triumphum egit anno vrb. 500.

C. Sempronius Blæsus COS de Pœnis anno vrb. 500.

TERTIVS EX QVINQVATRIIS.

MAVRICIVS Dux Saxoniæ Elector, Ducis HENRICI F. nascitur 1521. minu. 34. post 9. pomeridianam.

FRANCISCVS GALLORVM Rex obijt anno Christi 1547. ætatis 53. Sleidanus vltimo Martij mortuum esse scribit. Lib. 19.

Anno 1551. vigilia Palmarum mane hora 8. visa sunt PARELIA cum varijs arcubus cœlestibus, & nocte sequente παραιόελιωι VViteberga.

RODOLPHVS Dux Sueuorum, habens coniugem MATHILDEM sororem HENRICI IIII. Imperatoris, prius in oppido Forcheim electus in Regem Romanum, postea perductus Moguntiam hoc die in Imperatorem vngitur ab Archiepiscopo contra Henricum IIII. affinem suum, anno 1077.

Anno 1556. Oxonij in Anglia combustus est THOMAS CRANMERVS Archiepiscopus Cantuariensis, primas totius Angliæ iam prope decrepitus propter confessionem Euangelij.

Anno 1518. natus est in Turingia M. Iohannes Petrei pastor Cygneæ Ecclesiæ.

XXII. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΏΘ.

XI. CAL. APRIL.

Dies ♂ IESVS cœnat Bethaniæ in domo SIMONIS Leprosi, vbi mulier fracto Alabastro perfundit caput CHRISTI pretiosissimo vnguento, cum indignatione non Iudæ tantum, sed & Apostolorum reliquorum Matt. 26. Marci 14.

Imperator MAXIMILIANVS, Imperatoris FRIDERICI TERTII & LEONORÆ Portugalensis Reginæ filius, auus CAROLI V. Imperatoris, nascitur in Austriæ vrbe Neapoli, anno Christi 1459. hor. 4. min. 13. post meridiem.

QVARTVS dies ex QVINQVATRIIS.

CASIMIRVS Dux Pomeraniæ Ducis PHILIPPI septimus filius ex Ducissa Saxoniæ nascitur anno 1557. dimidia hora post primam pomeridianam. Latit. 54.

VVILHELMVS DVX BAVARIÆ, Ducis ALBERTI Pater moritur Anno 1550.

Anno 1084. Henricus 4 Imp: pulso in exilium Hildebrando Papa, volentibus ciuibus magna cum Pompa Romam introduxit VVigbertum Rauennatem Episcopum, & biduo post die Palmarum, fecit publice in Romanum Pontificem coronari, cognominatum Victorem III. à quo Imperator Henricus cum vxore Bertha die Paschæ coronatus est.

ΣΤΆΧΗΣ. Spica virginis mane occidit.

XXIII. MARTII. אֲדָר XII.

X. CALEND. APRIL. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ☿ CHRISTVS consueto more mane in templo docet, & vespere egressus vrbem, in monte oliueti pernoctat, abstrahens se à turba, vt possit vacare precibus. Pontifices verò & Pharisæi paciscuntur cum Iuda Iscariote, & vrgent maturari proditionem, ne anteuertat ipsos dies festus.

Hoc die mensis Adar absoluto templo post reditum ab exilio Babylonico, scribit Ioseph us lib. 11. cap. 4. factam esse dedicationem noui templi Hierosolymitani. Sed vide ea quæ suprà annotata sunt die 3. Martij.

VLTIMVS dies ex QVINQVATRIIS dictus TVBILVSTRVM. OVID.

Summa dies è quinq; tuba lustrare canora
Admonet, & Forti sacrificare Deæ.

Anno 1566. paulo ante medium noctis secutæ diem 23. Martij, pie in confessione & ardente inuocatione Filij Dei defunctus est VVOLFGANGVS Princeps in Anhalt, &c. Seruestæ, Anno ætatis 74. Dominica Lætare.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ XXIIII. MARTII.

ΦΑΜΕΝΩΘ. IX. CAL. APRIL.

Dies ♄ PRIMVS DIES AZYMORVM, quo CHRISTVS cum suis discipulis PASCHA celebrat vesperi, & lotis ipsorum pedibus ac instituto ritu cœnæ Dominicæ, exit in montem oliueti, vbi cùm de more ardenter precatus esset, & sanguinis guttas sudasset, dormitantibus discipulis, tandem proditione discipuli Iudæ capitur.

GEORGIVS AGRICOLA excellens philosophus & artis Medicæ Doctor, nascitur in oppido Mysiæ Glaucha, mane, medio inter horam quartam & quintam spacio, Anno Christi 1494.

MAHOMETES II. imperator Turcicus, qui occupauit Constantinopolin, cùm ageret annum ætatis 23. hoc die natus est Adrianopoli, Anno Christi 1430.

XXV. MARTII. אֲדָר XII.

VIII. CALEND. APRIL. ΔΥΣΤΡΟΣ.

Dies ♀ **DIES PARASCEVES.**

ANNVNCIATIO MARIAE.

FILIVS DEI in vtero virginis MARIÆ natæ ex Regia stirpe DAVIDIS humanam naturam assumsit.

Eodem die ADAM scribitur creatus, vel, vt aliqui volunt, lapsus.

Eodem die DOMINVS noster IESVS CHRISTVS CRVCI AFFIXVS MORITVR, FACTVS VICTIMA PRO PECCATIS TOTIVS GENERIS HVMANI, & sepelitur.

AEQVINOCTIVM VERNVM tempore Iulij & Augusti CÆSS.

HILARIA Romæ celebrabantur, quòd ab hoc æquinoctij die, Sol diem longiorem nocte efficeret. Macrobius 1. Saturna.

Vrbs VENETA ædificari cœpit, circa meridiem, Anno Christi 421.

Hoc die ERNESTVS Dux Saxoniæ Elector FRIDERICI secundi Electoris F. natus est in arce Mysenæ, hora 9. vespertina, anno 1441.

CHILIANVS GOLDSTEIN Vtr. Iuris Doctor nascitur in oppido Franciæ Kitthinga, anno Christi 1499. hora noctis vndecima.

IOHANNES CHRISTIANI Regis Daniæ filius, Dux Holsaciæ nascitur hora dimidia post septimam vespertinam, anno 1545.

MOYNTXIΩN. ΦAMENΩΘ.

XXVI. MART.

XVII. CAL. APRIL

שַׁבָּת חֲדָשׁוֹת׃

Dies ♄ SABBATVM SANCTVM seu MAGNVM, quo CHRISTVS quieuit in sepulchro: Sed principes Sacerdotum & Pharisæi partim læti, propter sublatum è medio, vt credebant, turbatorem tranquillitatis publicæ & suæ potentiæ: partim soliciti, ne idem diceretur resurrexisse, à PILATO impetrant milites, quibus sepulchrum CHRISTI muniunt, & insuper etiam lapidem obsignant.

M. VITVS THEODORICVS NORIBERGENSIS fidelis CHRISTI minister, qui vtilibus aliquot lucubrationibus doctrinam cœlestem illustrauit, hoc die ex hac vita decessit, anno 1549.

M. Valerius M. F. M. N. Messala Coruinus Procos. ex Gallia triumphum egit anno vrbis 726.

XXVII. MARTII.

אדר XII.

SEXTO CAL. APRIL.

ΔΥΣΤΡΟΣ.

RESVRRECTIO.

Dies ☉ CHRISTVS DIVINA POTENTIA VICTA MORTE ET DIABOLO GLORIOSE RESVRGIT summo diluculo tertij diei, vt prædixerat, & apparet eo die multis ex suis.

FESTVM OFFERENDI MANIPVLI spicarum, à quo numeratus 58. dies semper erat festum HEBDOMADVM, quod nos PENTECOSTEN vocamus, Leuit. 23.

Duodecimi mensis die vicesima septima anno tricesimo septimo transmigrationis IOACHIN regis Iudæ: Euilmerodach, filius Nabuchdonosor rex Babylonis anno primo regni sui eductum ex carcere captiuum regem IOACHIN, qui Ie[illegible] consilio obsecutus deditionem vrbis fecerat, honorificè habuit toto tempore vitæ ipsius, 4. Regum vltimo. Ieremias 25. diem habet mensis duodecimi, capite vltimo.

L. Posthumius Megellinus II. COS. de Samnitibus & Hetruscis triumphum egit an

L. Cornelius Procos. ex Africa anno 734.

[illegible] annis [illegible] Boiemiæ filius, Henrici 7. Luceburgen[illegible] moritur Pragæ anno 1378.

IOHA[illegible]S [illegible]S Hispanus [illegible]on[illegible] à fratre Alph[illegible]to, Nuburgi literas alipiti nefariè occiditur, eò quòd fratri conanti ipsum à abducere, nolueras obtemperare. 16.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ. ΦΑΜΕΝΩΘ.

XXVIII. MART.

V. CAL. APRIL.

FRIDERICVS Dux Lignicensis natus est anno 1520. hora 12. minuto 19. post merid.

ALBERTVS Marchio Brandeburgensis CASIMIRI filius, ex Susanna filia Bauariæ Ducis Alberti nascitur anno 1522. minutis 50. post quartam pomeridianam, Onolsbachij.

FERDINANDVS III. MAXIMILIANI Electi Regis Boiemiæ filius, FERDINANDI Imperatoris Rom. nepos, nascitur in regno Castiliæ Zigallis, intra primam & secundam horam post meridiem, anno 1551. & anno sequente die 25. Iunij Viennæ moritur.

Anno 1524. natus est Dominus M. ABDIAS PRÆTORIVS in oppido veteris Marchiæ Soltquel.

Romani coruum salutatorem religiosè & magnificè sepeliunt, Plin. lib. 10. cap. 43.

XXIX. MARTII.

אֲדָר XII.

IIII. CAL. APRIL.

ΔΥΣΤΡΟΣ.

IOHANNES VVeiuuoda Transyluaniæ, postea rex Vngariæ, natus est anno 1490. quo mortuus est Rex Matthias Huniadis Rex Vngariæ, hora VI. post meridiem in arce 8. miliaribus distante à Vienna versus Vngariam.

FRIDERICVS Dux Saxoniæ, Ducis Georgij filius, obijt Anno 1539.

M. SIGISMVNDVS VVERNERVS VVirceburgensis, Rector Scholæ Culmbacensis, nascitur, Anno 1534. quadrante horæ ante duodecimam noctis sequentis.

XXX. MARTII.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ.

ΦΑΜΕΝΩΘ.

III. CAL. APRIL.

CVNRADVS MVTIANVS RVFVS vir excellens eruditione & virtute in oppido Turingiæ Gottha moritur Anno Christi 1526.

Hic dies ater & funestus fuit Gallis, Anno Christi 1282. quorum intra duas horas supra octo millia crudeliter interfecta sunt, à Siculis per totam Insulam, quam duce Carolo Andegauensi Ludouici fratre, eripuerant Cunradino, vltimo ex Barbarossæ posteritate, ipsumq; in gratiam Pontificis securi percusserant, & Cunradini Patruelem Cunradum Principem Antiochiæ captum, & oculis priuatum, strangulauerant, Anno Christi 1281.

ΣΤΑΧΥΣ Spica virginis vesperi oritur.

XXXI. MARTII.

אדר XII.

PRIDIE CAL. APRIL. ΔΥΣΤΡΟΣ.

TITVS POMPONIVS ATTICVS vir omni genere virtutis ornatiſsimus, placidiſsima morte obijt anno ætatis 77. poſt interfectum amicum ſuum Ciceronem duodecimo, vrbis verò anno 722. quo C. Octauius Cæſar victo ad Actium Antonio & Cleopatra, finem bellis ciuilibus impoſuit, & ſolus imperio Romano potitus eſt.

Sanctus HIERONYMVS obijt in Bethlehem, vbi fuit Lector Collegij ad templum conditum à Conſtantino Magno, quod hodie putatur omnium templorum eſſe pulcherrimum, Anno ætatis 91. Anno Chriſti 420.

HENRICVS II. FRANCORVM & GALLORVM REX, FRANCISCI Regis F. & ſucceſſor, naſcitur hora 5. matutina anno 1518. in Latoſano, cuius latitudo eſt grad. 48. M. 40.

FRANCISCVS Galliarum Rex, huius HENRICI pater, moritur anno regni 32. ætatis 53. Anno Chriſti 1547.

Generoſus Dominus ANDREAS ab VNGNAD Baro in Sonnec & Frauenburg placida morte obijt, Anno 1557.

Anno proximo pòſt, hoc eſt, 1558. Epiſcopus Labacenſis, Euangelicæ doctrinæ perſecutor acerbus, Donauerdæ in Monaſterio S. Crucis exiturus è templo, cùm eſſet intentus in picturas Monachorum, delapſus de paucis gradibus, ceruicem fregit.

APRILIS.

ניסן Niſan.

PRIMVS. Qui & אָבִיב Exodi 13. Leuitici 2. Deutero. 16.

ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

SVIDAS: Ξανθικὸς ὄνομα μηνὸς παρὰ μακεδόσιν ὁ Ἀπρίλιος. Et Ioſephus aliquoties repetit, decima quarta die Xanthici celebratum fuiſſe Paſcha Iudæorum.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ.

Præſulis AMBrosij laudes imitare ſacerdos,
Et pellant equites GEORGI more tyrannos.

I. APRILIS. I נִיסָן

CALEND. APRIL. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

Primo die primi menſis ſuperficies terræ apparuit retecta ab aquis diluuij. Quare eo die NOHA TECTVM AB ARCA ABSTVLIT, *Sed nihilo minus tamen ipſe cum familia & quadrupedibus adhuc 56. dies commoratus eſt in illo carcere, expectans Dei verbum mandantis exitum, & foris reſerantis clauſtra Arcæ. Gene. 8.*

Hoc die menſis primi anno ſecundo poſt exitum populi ex AEgypto, abſolutis omnibus, quæ Moſes iuſſus erat ad tabernaculi cultum & ornatum, & ſacrorum vſum fabricare, TABERNACVLVM NOVVM ERECTVM ET DEDICATVM EST, *quod ſtatim Maieſtas Domini repleuit, nube denſa per diem, & late fulgente flamma per noctem incubante tabernaculo. Exod. vltimo.*

EZECHIÆ *pij Regis in Iuda mandato* TEMPLVM DOMINI IEROSOLYMIS HOC DIE CEPIT REPVRGARI, *ſqualens ſitu & ſordibus ob intermiſſum ibi multis annis cultum Dei lege Moiſi præſcriptum, cum in Excelſis & Vallibus extra vrbem infinitis locis ſacrificia facta fuiſſent Idolis Baalim, neglecto & occluſo templo Dei, 2. Paralip. 29.*

ROMA A GOTTHORVM REGE ALARICO *poſt biennij obſidionem capitur Anno Chriſti 412. Blondus.*

נִיסָן א בּוֹ מֵתוּ שְׁנֵי בְנֵיהֶם אַהֲרֹן׃

Hoc die Menſis Niſan credunt Iudæi mortuos eſſe duos filios Aaron, Nadab & Abiu, quos non mandatum ſacrum facientes Deus ignis de cælo ſubito necauit, vt teſtaretur hac horrenda pœna, ſe non velle coli ritibus humana ſapientia excogitatis, ſed tantum operibus à ſe præceptis. Leuit. 10.

Q. Martius Philippus COS. *triumphum egit de Hetruſcis anno vrb. 472.*

SP. Caruilius Maximus de Sardis *anno vrb. 519.*

SIGISMVNDVS I. *Poloniæ Rex, Caſimiri filius, moritur anno ætatis 81. Anno Chriſti 1548. ipſo die, quo die Eccleſia celebrat memoriam reſurrectionis* CHRISTI.

CHRISTOPHORVS GROSSER I. V. *Doctor & Conſiliarius Marchionis* GEORGII FRIDERICI *&c. natus eſt Noribergæ, Anno 1516. dimidia hora poſt XI. noctis.*

II. APRILIS.

I. נִיסָן

IIII. NONAS APRIL. ΞΑΝΘΙΚΌΣ.

ALBOINVS REX LONGOBARDORVM accersitus à NARSETE in Italiam, contra Gotthos, cum exercitu Pannoniam egressus est, Anno 558.

PHILIPPVS Landgrauius Hassiæ obijt Cassellæ, durante adhuc obsidione Gothana, Anno 1567.

Anno 1545. dimidia hora post XI. noctis, nata est ELISABETHA Filia HENRICI II. Regis Franciæ nupta Philippo Regi Hispaniarum CAROLI V. Imperatoris Filio.

III. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΏΝ. III. NONAS APRIL.

ΦΑΡΜΟΥΘΊ.

CHRISTVS octauo die post resurrectionem iterum apparuit Apostolis congregatis præsente THOMA, cuius incredulitatem obiurgat.

BENEDICTVS PAVLI Iuris vtriusq; Doctor moritur VVitebergæ, Anno Christi 1552.

Anno Christi 1242. VVormaciæ magna pars conflagrauit orto ex incuria incendio, in quo ad trecentos homines periisse ferunt.

Anno 1532. natus est Noribergæ D. IOACHIMVS REGIVS, Ciuitatis Noribergensis Syndicus, duabus horis post Solis exortum.

IOHANNES, Domini PHILIPPI fidelis Minister, circa 12. Meridiem, secunda feria Paschatos moritur VViteberga, Anno 1553.

IIII. APRIL.

I. נִיסָן

PRIDIE NONAS.

ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

AMBROSIVS,

Episcopus Mediolanensis mortuus est Anno Christi 380. natus Romæ in nobili familia, aliquandiu fuit præses Genuensis ciuitatis.

GEORGIVS TRAPEZVNTIVS nascitur anno Christi 1396. horæ duodecimæ, M. 20. à meridie in Longit. 47. Lat: 37. graduum.

HERCVLES Dux Ferrariæ, qui fuit in Castris Imperatoris Caroli V. obsidentis VVitebergam anno 1547. natus est in Italia Anno Christi 1508. horæ 21. M. 24. Italici horologij.

MAVRICIVS Dux Saxoniæ Elector cum confœderatis VVILHELMO Hassiæ Landgrauio, Marchione ALBERTO & cæteris, AVGVSTAM triduo antè obsessam occupat, in qua muri pars paucis diebus antè collapsa fuerat, & tunc senatores à Carolo V. depositi, in pristinum locum dignitatis restituti sunt, & tribubus redditum est ius suffragiorum paulò antè ab Imperatore ereptum, Anno 1552.

M. AMBROSIVS Clauiger, pastor Ecclesiæ Mariæmontanæ, nunc docens Euangelium in aula Illustriss. Ducis Sax. AVGVSTI ELECTORIS nascitur in Salinis Saxo. Anno 1520. Obijt in Lange Saltza 17. Aprilis, Anno 1567. AEtatis 40. inchoato.

HECTOR Dux Saxoniæ Ducis AVGVSTI Electoris quintus Filius moritur Anno 1560.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ.

V. APRILIS.

NONAE APRIL.

MEGALESIA,

Ludi celebrati in honorem Magnæ Matris Deorum. Ouid. 4. Fast.

Liuius ad pridie Idus Aprilis refert Megalesia, lib. 9. Decad. 3.

MATTHIAS HVNIADES REX HVNGARIÆ moritur apoplexiâ Viennæ Anno 1490. Ætatis 47. Regni 33.

GEORGIVS FRIDERICVS Marchio Brandeburgensis, Filius pijssimi principis GEORGII Marchionis, nascitur anno 1539. minutis 48. post secundam pomeridianam in vrbe Franciæ Onolsbach.

LVDOVICVS IX. GALLIÆ REX cum Saracenis in Syria ad Faramiam Ægypti vrbem pugnans, cum fratribus Carolo & Alphonso captus est, Anno Christi 1250. vnde factum est, vt Damiata vrbs Ægypti cum multis alijs pro illius & aliorum captiuorum redemptione Mahometanis restituerentur.

M. FRIDERICVS ZORLERVS Minister scholæ Fribergensis, nascitur prope Kithingam, Anno 1522. horæ 10. vicina Meridici.

VI. APRIL.

נִיסָן I.

VIII. IDVS.

ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

Hoc die mensis primi IOSVA SVCCESSOR MOYSIS *populum Israël primum ex castris Setim educit ad Iordanem, ibiq; triduum commoratur. Iosue 3.*

Natalis SOCRATIS, *qui oraculo Delphico iudicatus est vir totius Graciæ sapientissimus. Plutarch. 8. lib. Sym.* ἕκτῃ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τῷ ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ ἀγαγόντες γενέθλιον, τῇ ἑβδόμῃ τῷ Πλάτωνος ἤγομεν. *Idem dicit Laërtius, addens,* ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν Ἀθηναῖοι.

MATTHIAS CORVINVS *Rex Vngariæ moritur Viennæ anno Christi 1490. ætatis suæ 47. regni 33.*

IACOBVS MYCILLVS *nascitur anno Christi 1503. dimidia hora post quintam matutinam.*

ALBERTVS DVRERVS *excellens pictor & vir sapiens moritur Noribergæ, Anno Christi 1527. ætatis 56. Climacterico octauo.*

IOACHIMVS MORLINVS *Theologiæ Doctor natus est dimidia hora post sextam matutinam anno 1514.*

M. Antoninus Bassianus Caracalla, Imperatoris septimi Seueri Filius natus est, Anno Christi 199.

Nebulosa sequens spiculum caudæ Scorpij mane occidit.

VII. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ.

VII. IDVS.

ΘΑΡΓΗΛΙΑ,

Festum Apollinis Athenis celebratum, vnde mensis nomen habet. Vide Suidam.

ΚΑΡΝΕΙΑ,

Festum Apollinis apud Cyreneos celebratum.

Natalis PLATONIS ET CARNEADIS *Academici Philosophi, vt refert Plutarch. 8. lib. Sympo. Est autem Plato natus 88. olympiade* ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμφίου, *quo anno* PERICLES *mortuus est. Scribit autem Thucydides Periclem obijsse sexto mense post exactos duos annos belli Peloponnesiaci.*

PHIL. MEL.

Hæc lux orta fuit nascenti prima Platoni,
Cùm medij Veris tempore floret humus.
Cuius apes cunis sparserunt dulcia mella,
Omen vt eloquij Numina læta darent.

Anno 1540. hoc die horrenda Eclipsis Solis orientis fuit, incedentis per postremas partes Arietis, cùm anno præcedente idem fuisset obscuratus eiusdem mensis die 18. in Tauro. Has Eclipses Solis secutus est ingens æstus, quo fontes multi sunt exiccati, & aliquibus in locis syluæ accensæ. Numerus annorum à Christo nato, hoc versu comprehensus est:

Exiccata leuis cur flumina Cerue requiris?

Anno 1546. obijt placidissima morte vir sanctus FRIDERICVS MYCONIVS *Ecclesiæ Gotthanæ pastor, cùm fuisset Luthero superstes septies septem dies, id quod precibus se à Deo impetrasse, & scire ita futurum Lutherus in Epistola consolatoria scripserat Dominica post Epiphania anni eiusdem inchoati.*

VIII. APRIL.

יסן I.

VI. IDVS. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

Oratio pro Annio MILONE *à M.* TVLLIO CICERONE *dicta, & reus in iudicio condemnatus est, anno ante Christum natum 49. Asconius Ped. Sed correctiora exemplaria habent III. Idus.*

L. Septimus SEVERVS *Imperator Rom. natus est patre M. Geta Equite Romano, matre Fuluia pia, anno Christi 148. vrbis 898. Spart. Eodem die M.* ANTONINVS CARACALLA *Imp.* SEVERI *filius, qui cùm alia multa crudeliter & nefariè fecit, tum fratrem* GETAM *& Iureconsultum præstantissimum* PAPINIANVM *occidit, hoc die ab Edessa proficiscens in Cariam, cùm de equo ventris exonerandi causa descendisset, à Tribuno militum pugione confossus periit, agens annum ætatis 29. Imperij 7. Anno Christi 219.*

Anno 1462. GEORGIVS PEVRBACHIVS *excellens Mathematicus, præceptor* IOHANNIS REGIOMONTANI *moritur Viennæ, ætatis anno 39. nondum completo. Epitaphium sibi hoc fecit:*

Extinctum dulces quid nam me fletis amici?
Fata vocant, Lachesis sic sua fila trahit.
Destituit terras animus, cœlumq; revisit:
Quæ semper coluit liber & astra colat.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. ΦΑΡΜΟΥΘΙ.

IX. APRILIS.

V. IDVS.

CEREALIA,

Festum Cereri institutum, quo ludi exhibebantur.

MAHOMETES II. Turcarum Imperator CONSTANTINOPOLIN *obsidere cœpit.*

Anno 1547. cùm Dominus PHILIPPVS MELANTHON *ex Seruesta, quò propter bellum cum familia & paucis Scholasticis secesserat, vna cùm D. Vito VVinsheimio & M. Marcello ad visendos Collegas, qui remanserant, VVitebergam venisset 9. die Aprilis, quæ erat vigilia Paschatos, ea nocte somniauit, se legentem in scriptore Græco incidisse in hæc verba: Ὑμόθεον ναυμαχοῦντα ἀλῶναι, & eis adscriptam vidisse notam numeri XV. ac in somnis secum disputasse, actiué ne an passiuè verbum ἀλῶναι exponi deberet, sicut & die Paschatos in templo indicans hoc somnium collegis, quærebat propriam verbi interpretationem, & quid somnium videretur significare. Sed euentus ipse interpretationem addidit. Nam XV. die pòst, hoc est, 24. die Aprilis commissa pugna in ripa Albis ad* MVLBERGAM, *Dux* IOHANNES FRIDERICVS *Elector captus est à Cæsare* CAROLI V. *equitibus traductis per Albis alueum.*

Anno 1242. commissum est acerrimum prælium ad Legnesium Silesiæ inter duces Silesiæ & Tartaros, qui duce Peta peruagati Regnum Poloniæ, & transmisso Viadro Vratislauiam obsederant, in quo prælio etsi magna strage Silesij fusi succubuerunt, tamen ita fregerunt vires Tartarorum, vt non ausi vlterius progredi in Germania, per Morauiam in Vngariam & inde onusti ingenti præda ad paludem Mœoticam redierunt.

Henricus iunior Burggrauius Misnensis nuptias celebrat cum Catharina Ducissa Brunsuicensi et Lüneburgensi, 9 Aprilis, Anno 1564. in Fallersleben.

X. APRILIS.

I. נִיסָן

IIII. IDVS. ΞΑΝΘΙΚΟ΄Σ.

Decimo die primi mensis VNIVERSVS POPVLVS ISRAELITICVS DVCE IOSVA TRANSIVIT PER IORDANEM exundantem tunc, sed diuina potentia exiccatum, è regione IERICHO stante aqua in sublimi tam diu, donec Sacerdotes gestantes Arcam fœderis, ex vado fluminis in ripam vlteriorem egressi essent, anno quo mortuus est MOYSES, ante Christum natum 1470. Iosue. 3. & 4. cap.

Decimo die primi mensis quotannis AGNVS Mactandus festo Paschatis, carens omni labe & vitio, sumebatur de grege, & seorsim alebatur vsq; ad 14. diem eiusdem mensis. Exodi 12.

נִיסָן י בּוֹ מֵתָה מִרְיָם הַנְּבִיאָה

Hoc die Mensis primi Iudæi credunt mortuam esse sapientissimam mulierem Mariam Prophetissam, sororem Mosis & Aaronis in Cades, paulò ante fratrum dissidentiam ad petram, quam languidiore fide percutiens Moses ita offendit Deum, vt negatus sit ipsi & fratri ingressus in terram promissam, Num. 20.

OTTHO HENRICVS Palatinus Rheni Elector, Ruperti filius, nascitur anno 1502. horâ 10. scrup. 33. P. M.

Vrbs METENSIS auspicijs Henrici II. Galliarum Regis à Conestablio capta imperio eripitur anno 1552.

Anno 1486. MAXIMILIANVS Austriæ Dux coronatur Aquisgrani in Regem Rom: & Germaniæ, allata corona Caroli Magni ex Noriberga.

XI. APRILIS.

ΦΑΡΓΗΑΙΩ΄Ν.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ΄. III. IDVS.

IOSVA CIRCVMCIDIT VNIVERSVM populum Israel in castris non procul ab Iericho, in loco, qui ab illo facto postea dictus est GILGAL. Nam in itinere propter expectationem profectionis, & incertitudinem moræ in singulis locis, infantes non fuerant circumcisi totis 40. annis, & de ijs, qui ex AEgypto exierant, nullus Iordanem transierat, exceptis duobus, IOSVA & CALEB, Cæteris omnibus in deserto extinctis propter inobedientiam. Iosuæ 5.

Pugna ad RAVENNAM commissa est, qua conflixit IVLIVS II. PONTIFEX cum Gallorum Rege LVDOVICO XII. die Paschatis, in qua victus Iulius, ad sedecim millia suorum militum amisit, anno Christi 1512.

Eodem anno & die SELIMVS pater SOLYMANNI, qui patrem BAIAZETEM podagra decumbentem regno exuerat, & agentem annum ætatis 74. in fuga veneno necauerat per Medicum Iudæum, Turcarum imperium inuasit.

Post quinquennium idem SELIMVS capta vrbe AEgypti munitissima ALCAIRO, SVLTANVM à suis nefarie proditum, & ex fuga retractum, diuq; exquisitis tormentis excruciatum, vt Thesauros regni indicaret, hoc die mulæ imposuit, & cum laqueo de collo pendente per totam vrbem Alcairum circumductum, tandem iuxta portam vrbis frequentissimam suspendi iussit, Anno Christi 1517. Iouius.

CAROLVS V. Imperator, nuptias celebrauit Hispali cum Isabella Filia EMANVELIS Regis Lusitanorum.

XII. APRILIS.

ניסן I.

PRIDIE IDVS. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

Cn. POMPEIVS Magni filius, in Hiſpania difficili prælio victus & cæſus eſt Hiſpali.

Natalis IOACHIMI CAMERARII in oppido Franciæ BAMBERGA editi anno 1500. quadrante horæ poſt decimam antemeridianam.

HIERONYMVS SCHVRF I. V. DOCTOR clariſsimus in Germania, qui iuris doctrinam publicè ſumma cum fide in hac Academia amplius triginta ſex annis docuit, naſcitur anno 1481. hora quinta matutina apud Heluetios in oppido S. Galli.

GEORGIVS CRACOVIVS Iuris Vtriuſq; Doctor, & Illuſtriſſimi Ducis Saxoniæ AVGVSTI Electoris &c. conſiliarius, naſcitur in Pomerania Anno 1525. hora 7 matutina.

Georgius Winclerus Scholæ Vratislauiensis ad Diuam Mariam Magdalenæ Collega, moritur Vratislauiæ Anno 1576.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. # XIII. APRILIS.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ. IDVS APRIL.

Hoc die menſis primi propoſita & in prouincias centum & viginti ſeptem, emiſſa ſunt EDICTA Regis ASSVERI, qui à Græcis DARIVS HYSTASPIS dicitur, de interficiendis vno die omnibus Iudæis in omnibus vrbibus Regi ſubiectis, non habita ratione ætatis aut ſexus, qui dies Iudæis ingentem terrorem & mœſticiam attulit, Eſth. 3.

עֶרֶב פֶּסַח *Veſpera ſeu vigilia Paſchatis, quo die ieiunio ſe macerant apud Iudæos primogeniti in omnibus familijs.*

C. Aurelius Cotta COS. de Pœnis & ſiculis triumphauit anno vrb. 501.

MECOENAS Auguſti Imp. amicus, liberaliſsimus Poëtarum patronus, è Regibus Hetruriæ oriundus naſcitur. Hor. lib. 4. Od. 11.

LVDOVICVS III. cognomine BALBVS, filius Caroli Calui, Rex Franciæ moritur veneno necatus, cuius obitum anteceſsit menſe Octobri horribilis Eclipſis Solis, adeò denſas vmbras efficiens, vt ſtellæ in cœlo ipſa meridie cernerentur, Anno Chriſti 880.

MELCHIOR ZOBEL Epiſcopus VVirceburgenſis & Dux Franciæ, laudatus Princeps, ex vrbe VVirceburga trangreſſus pontem Meni, vt arcem ſuam repeteret cum pauciſsimis miniſtris nobilibus, exceptus inſidijs immanium latronum globo tormentario nefariè traijcitur, ex quo vulnere ſtatim, antè quàm in arcem perferri poſſet, moritur, Anno 1559.

M. IOHANNES STVRIO Curienſis, præſtantiſsimi ingenij vir, miniſter verbi in Eccleſia VVitebergenſi, natus eſt dimidia hora poſt 7. matutinam, anno 1525. Mortuus VVitebergæ penultima Decembris Anni à CHRISTI natali inchoati 1562.

Fridericus Marchio Brandebur. Alberti F. naſcitur 1490.

Anno 1567. vrbs Gotha & Arx contigua Grymmenſtein per deditionem cum miſſarijs Imperij & Electori AVGVSTO vna cum Duce Saxoniæ Iohanne Friderico tradita eſt.

XIIII. APRIL.

XVIII. CAL. MAII

I. ניסן

ΞΑΝΘΙΚΟ'Σ.

פסח א Hoc die mensis primi omne fermentum ex domibus Iudæorum tollendum erat, Nam vespere celebrabatur PHASE Domini in memoriam mirandæ liberationis, qua erant seruati Iudæi illa nocte, cum Angelus Dei omnia primogenita in Vniuerso regno AEgypti occidisset, prætereins domos Israëlitarum inscriptas sanguine mactati Agni, Exod. 12. & vocabatur is dies PRIMVS AZYMORVM, eratq; festus, h. e. liber ab operibus seruilibus. Fuit autem hoc primum Phase celebratum anno ante Christum natum 1509.

Hoc die populus Israël in castris ad Iericho celebrans PHASE ex multorum annorum interuallo, primum vsus est panibus Azymis factis ex frugibus terræ CHANAAN, defecitq; MANNA, quo ad hunc vsq; diem, quadraginta annos continuos in deserto alita fuerat innumerabilis illa multitudo. Iosue 5.

Hoc die mensis Xanthici, cum ingens multitudo ex vniuersa Iudæa Hierosolymam ad festum conuenisset, vrbs ab exercitu TITI primum obsessa est, anno post Christum natum 73. tertio anno post interfectum à Nerone PAVLVM Apostolum.

ANTONIVS ab OCTAVIO Cæsare, iuuene adhuc uictus & repulsus est à Mutina hoc die, in quo prælio duo COSS. HIRCIVS & PANSA occisi sunt. Quid. 4. Fast.

VVILHELMVS Comes de Nassau Princeps Vraniæ nascitur Dillenbergæ anno 1533. mane paulò ante tertiam horam.

Anno 1521. natus est IOHANNES MARBACHIVS Lindoensis, Theologiæ Doctor, & Superintendens Ecclesiæ Argentinensis, hora dimidia post secundam matutinam.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ'.

XV. APRILIS.

XVII. CAL. MAII.

MIGRATIO EX AEGYPTO.

Dies ☽ Hoc die primi mensis, MOSES eduxit ex Raëmse regione AEgypti iuxta Heliopolin, populum Israël ad sexcenta millia virorum, præter paruulos, mulieres, & innumerabilem aliam multitudinem promiscuam, præcedente & obumbrante interdiu NVBE, per noctem verò prælucente FLAMMA, posuitq; prima castra in Sochoth. Exod. 13. Num. 33. Ioseph. lib. 2. cap. 13. qui coniungit hos tres menses, Nisan, Xanthicum & Pharmuti.

פסח ב II. AZYMORVM etiam prorsus solennis, vt Sabbatum apud recentes Iudæos seruatur.

Quidam Iudæi ex 16. cap. Exodi ratiocinati sunt, hunc primum exitum populi ex AEgypto factum esse die Iouis, vt nunc solemnis numerare septimanæ dies. Vide scriptum recens editum de AEris.

FORDICIDIA, Festum institutum à Numa, cum lues necaret pecudes. Mactabatur autem bos grauida pro incolumitate armentorum.

MANVEL CHRYSOLORAS Constantinopolitanus in Germania Constantiæ mortuus est anno Christi 1415.

Anno Christi 1558. Die Veneris post Paschæ festum MELCHIOR ZOBEL Episcopus VVirzeburgensis & Dux Franciæ, ex vrbe repetiturus Arcem suam, transgressus pontem Meni, ex insidijs obruitur impetu paucorum equitum, & traiectus globo bombardario, expirat, antequam in arcem perferri potuit.

XVI. APRILIS.

ז נִיסָן

XVI. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

Dies ☿ *Secundo die exitus, populus Israël ex Sochoth egressus perducitur in desertum* ETHAM *in extremos fines solitudinis circa mare rubrum. Num. 33.*

חוֹל הַמּוֹעֵד פֶּסַח א *Profestus dies festi Paschatis, quo licet aliquas seruiles operas facere.*

TERTIVS DIES AZYMORVM.

MARTINVS LVTHERVS *accersitus per literas et Caduceatorem* CAROLI V. *Imperatoris,* VVORMACIAM *ingressus est anno 1521. vsq; ad decimum diem ibidem commoratus.*

Anno Christi 419. die Paschatis ALARICHVS *Gothorum Rex pactis induciis iam educturus ex Italia exercitum suum in Gallias iuxta conuenta, in ipso festo nihil tale metuens ex improuiso obruitur contra fidem & honestatem Romani Imperij à Stillicone, & multos suorum amittit.*

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. # XVII. APRILIS.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ. XV. CAL. MAII.

Dies ♄ *Tertio die egressionis, populus ex vasto & plano deserto Etham iussu Dei retrahitur in montana & aspera loca, & iubetur castra ponere ad Phihahiroth inter Magdalum & Mare. Significat autem nomen loci illius os liberorum seu fauces, vnde apparet, Deum consultò duxisse populum in illas angustias montium & maris, vt in summa desperatione suam potentiam & bonitatem manifestius declararet. Exodi 14. Num. 33. Ibi Pharao cum instructissimo exercitu populum exeuntem persecutus, eodem die eum in angustijs sedentem assequitur. Sed ne statim in castra Iudæorum irruat, arcetur præsidio angeli Dei, in nube obscura & nebulosa interponentis se in medio duorum exercituum. Moses verò trepidantem consternatione populum & expostulantem ægrè compescit, & confirmat, vt quiescat, Exodi 14.*

Anno 1446. in Holandia prope Dordrecht maris inundatione rupto aggere, sedecim Parochiæ submersæ sunt, & vltra centum millia hominum eo diluuio perierunt.

חוֹל הַמּוֹעֵד פֶּסַח ב׃

IIII. DIES AZYMORVM.

APTISTA MANTVANVS *Carmelita* POETA *præstans sua ætate, nascitur anno 1444.*

MARTINVS LVTHERVS *coram Carolo V. Imperatore, Electoribus, & statibus vniuersis Imperij interrogatus de libris & doctrina sua, causam suam ipse constanter dixit, astante Hieronymo Schurfio I. V. Doctore, anno 1521.*

ALARICHVS *Gothorum Rex vlturus pridianam Stilliconis perfidiam, instructis denuo copijs contra eum profectus prælio acerrimo exercitum Imperatoris fudit, & post hanc victoriam rectà ad vrbem Romam contendit, quam post biennij obsidionem cepit Calendis Aprilis, vt supra 129.*

M. AMBROSIVS CLAVIGER *Christi Minister obijt in Thuringiæ oppido Saltza, quatriduo post occupatam vrbem & Arcem Gothanam, Anno 1567.*

Hoc die Clarissimus Vir Joachimus Camerarius Pa: beperegrinis, philosophiæ et eloquentiæ in Academia Lipsensi professor, sanctè moritur Lipsiæ, Anno Chri. M. D. LXXIIII. ætatis suæ LXXIV.

XVIII. APRILIS.

XIIII. CAL. MAII.

I נִיסָן

ΞΑΝΘΙΚΌΣ.

חוֹל הַמּוֹעֵד ג *V. dies AZYMORVM.*

EQVIRIA *in circo maximo celebrata Romæ, 4. Fast.*

Dies ☉ *Nocte præcedente hunc diem diuiso diuinitus mari rubro, cùm ventus immissus vadum exiccasset,* POPVLVS ISRAEL IVSSVS CASTRIS EGREDI, *per mare inceßit inter duos ingentes cumulos aquarum vtrinq; erectarum, in modum altißimorum scopulorum. Transeunti autem multitudini lucem præbuit nubes eadem, quæ prius interiecta duobus exercitibus hosti densam nebulam offuderat. Qua tandem sublata, Pharao cernens castra populi vacua, & mare diuisum, eadem via multitudinem fugientem persequitur. Et cùm vadum maris ingressus fuisset, circa diluculum diei, partim ventorum procellis, partim aquis recurrentibus cum vniuerso exercitu obruitur. Moyses verò & tota multitudo incolumis transgressa, Deo lætis cantionibus pro tanta liberatione gratias agit. Exodi 14 & 15.*

Doctor IOHANNES DRACONITES *Caroloßadius, trium Linguarum peritißimus, & Theologus insignis, VViteberga moritur Anno Christi 1566. die ♃ post Pascha.*

Anno 1567. ♀ post Dominicam Misericordiæ Domini, qua vrbs Gotha & munitißima Arx Grymmenstein à Militibus & Ciuibus, Imperatoris Maximiliani II. Commißarijs, & Augusto Electori & Iohanni VVilhelmo ducibus Saxoniæ, aperta & tradita fuerat, & Dux Iohannes Fridericus captus, supplicium sumtum est de Grumbachio, D. Pontano, VVilhelmo à Stein, Iohanne Beir, & Dauide Bomgartner, Augustano, quorum duo primi viui, tertius post decollationem in 4. partes dissecti sunt, quartus laqueo suspensus, quintus capite mulctatus est.

Anno 334 coepta est hoc die Constantinopolis ædificari ab Imperatore Constantino.

Chelæ seu Libræ Borealis lucida vesperi oritur.

XIX. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΏΝ.

ΦΑΡΜΟΥΘΊ.

XIII. CAL. MAII.

Dies ☽ *A mari rubro abductus populus in desertum* SVR, *totum triduum errat per locæ inaquosa, Exodi 15.*

חוֹל הַמּוֹעֵד ד

VI. DIES AZYMORVM.

Anno CHRISTI *1417.* SIGISMVNDVS *Imperator Rom. donauit & publica solennitate tradidit Marchiam &* ELECTORATVM *Brandeburgensem* FRIDERICO I. *Burggrauio Noribergensi. Comiti in Zellern, Friderici III. Burggrauij Noriber: filio.*

PETRVS MOSELLANVS *ex ditione Treuirensi oriundus moritur Lipsiæ anno 1524. anno ætatis tricesimo primo.*

Anno 1560. Dominus PHILIPPVS MELANTHON BRETTANVS, D. MARTINI LVTHERI *fidelis παρακλήτης et adiutor, & cum voce sua, tum scriptis pijs & eruditis præclarè meritus de Ecclesia, Scholis, & tota posteritate, confecto suo curriculo, die 63. post completum climactericum nonum, Annum videlicet 63. post septimum Paroxysmum tertianæ febris placidè obdormijt.*

MICHAEL STIFELIVS *insignis Arithmeticus & Minister Euangelij placidè in Christo obdormijt Ienæ, Anno 1567.*

Ioachimus à Beust, Iuris Vtriusq; Doctor, in Vigilia Paschatos nascitur anno 1522.

PLEIADES manè oriuntur, Chelæ Austrinæ lucida seu Libræ lanx vesperi oritur.

XX. APRIL.

XII. CAL. MAII.

ניסן I.

ΞΑΝΘΙΚΌΣ.

שְׁמִינִי עֲצֶרֶת Retentionis octaua.

VII. DIES AZYMORVM.

Anno Christi 1439. ANGLI, *qui aliquot annos Luteciam tenuerant, & ciues duriter presserant, hoc die ab* ARCTVRO *obruente ipsos cum mediocri exercitu, vrbe eiecti & profligati sunt, plurimi etiam occisi & capti.*

IOHANNES AGRICOLA ISLEBIVS *natus est anno 1492. hora 5 post meridiem.*

BERNHARDVS VVIGBOLD *Groningensis Iuris vtriusq; Doctor & Regis Danici consiliarius, vir ingenio & eruditione præstans obijt Rostochij, Anno 1556.*

R. Dominus IOHANNES BVGENHAGEN POMERANVS S. *Theologiæ Doctor, & Pastor Ecclesiæ VViteb. cui præfuit annos 38. biduo post Eclipsin solis placidè tanquàm obdormiscens obijt, anno ætatis 73. Christi 1558.*

D. *Doctor* IOHANNES DRACONITES *sepultus est in templo Parochiali VViteb. non procul à Mellerstadio & D. Casparo Crucigero Anno 1566.*

Baldus Perusinus Iurisconsultus clariss. anno Christi 1400. mane obit, cum attigisset ætatis annum 76. conditus Ticini cum hac rudi inscriptione:

Conditur hic Baldus Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina natus in arce.

ΘΑΡΓΗΛΙΏΝ.

ΦΑΡΜΟΥΘΊ.

XXI. APRILIS.

XI. CAL. MAII.

PALILIA,

Festum pastorum, qui colebant Deam Palem.

NATALIS ROMÆ. *Nam hoc die designauit* ROMVLVS *mœnia vrbi Romæ condendæ aratro, anno ante Christum 751. Plin. lib. 18. cap. 26. vbi vocat Hyades Palilitium signum, eò quòd circa hunc diem occidant vesperi. Item Plutarch in Romulo. Solinus cap. 2.*

Idem dies est natalis NVMÆ REGIS *successoris Romuli, vt scribit Plutarch.*

PHILIPPVS *Arabs Imp. Romanus anno* MILLESIMO *vrbis Romæ hoc die natali vrbis celebrauit* LVDOS SECVLARES *maximo apparatu & sumtu Anno Christi 250. vel vt alij numerant 251.*

Anno 337 obijt HELENA *Chloelis Britanniæ Regis filia, mater* CONSTANTINI *Magni Imp. inuentrix Crucis Dominicæ.*

Idem dies natalis est VLRICI HVTTENI *nati in Francia ex equestri familia anno 1488. hora dimidia post nonam antemeridianam.*

שְׁמִינִי עֲצֶרֶת ב Retentionis octaua altera.

VIII. DIES AZYMORVM.

Hoc die sepultus est in templo Parochiali Reuer. D. D. IOHANNES BVGENHAGIVS *Pomeranus pastor Ecclesiæ VViteb. anno 1558. & biennio post, in templo Arcis Dominus* PHILIPPVS MELAN.

XXII. APRIL.

ניסן I.

X. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ

Hoc die mensis Xanthici frustra tentata per TITVM *aliquoties deditione,* VRBS IEROSOLYMA PRIMVM OPPVGNARI CEPIT *à militibus Titi, anno post Christum natum 73. Ioseph.*

VINALIA PRIORA,

Festum Veneris, degustandis vinis institutum, cuius occasionem narrat Ouidius 4. Fasto. Plini. lib. 18. cap. 29.

Populus Israël, qui aquarum defectum totum triduum sustinuerat, hoc die mensis primi venit in locum deserti appellatum MARA *à sapore aquarum, quas propter amaritudinem neq; homines neq; iumenta bibere poterant. Sed* MOSES *monstrato diuinitus remedio, eas dulces effecit, & ibi aliquot dies commoratus, iura quædam populo constituit Exodi 15.*

אסרו חג *Vincite festum, Iudæi celebrant conuiuia, consumentes reliquias præteriti festi Paschalis. Sic autem vocant hoc festum sumtis verbis ex Psalmo 118.*

HENRICVS V. *dictus Iunior, qui incitatus à Pontificibus patrem Henricum IIII. Imperio priuauerat, quod ipse gubernauerat maximis cum difficultatibus annos 19. plurimas fraudes & iniurias Pontificum expertus, Traiecti hoc die mortuus est, & iuxta patrem & auum Spiræ sepultus anno Christi 1124.*

HVLDERICVS *Dux Megalburgensis ducis* ALBERTI *ex filia* IOACHIMI I. *Marchionis Electoris nascitur, Suerini, anno 1528. dimidia hora ante tertiam pomeridianam.*

HENRICVS VI. *Imp: Imperatoris Friderici primi Filius, Messanæ in Sicilia obijt, Veneno vt existimatum fuit, necatus, Anno 1198.*

XXIII. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. ΦΑΡΜΟΥΘΙ. IX. CAL. MAII.

GEORGIVS.

Dionysius Halicarniß. τὸ ἴλιον ἥλω πεμπτίνου τοῦ ἔαρος, ὀγδόῃ φθίνοντος θαργηλιῶνος, ἐπακαίδεκα πρότερον ἡμέρας τῆς θερινῆς τροπῆς. *Gaza libello de mensibus pag. 116.*

Anno Christi 596. MAHOMETES *conditione seruus, blasphemi dogmatis autor, in Arabia natus est.*

Natalis DOCTORIS GEORGII SABINI *Poëtæ præstantis, nati in Marchiæ oppido Brandeburgo, anno 1508. hor. 7 antemeridiana.*

GEORGIVS FABRICIVS *Poëta excellens & omnis antiquitatis peritissimus natus est Chemnicij intra quintam & sextam mane, anno 1516.*

Anno 1509. Henricus VII. *Angliæ Rex mortuus est Richemondiæ, Sepultus VVestmonasterij.*

AVGVSTVS ELECT: *Dux Saxoniæ, vsitata ceremonia, feuda accepit ab Imperatore* MAXIMILIANO II. *Augustæ Anno 1566.*

Chelæ seu libræ Austrina lucida mane occidit.

XXIIII. APRIL.

I. נִיסָן

VIII. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

CARTHAGINENSIBVS in Sicilia à TIMOLEONE Corinthio difficili prælio victis, tota Sicilia in libertatem vindicata est, τῇ ἑβδόμῃ Ἰσθμιλιῶν Φοίνοντος.

Eodem die multi Græci scriptores magni nominis testantur, VRBEM TROIAM A GRÆCIS CAPTAM ET INCENSAM ESSE, vindicantibus raptum Helenæ, quo die Rex PRIAMVS senex coactus videre in conspectu suo mactari filios, tandem ipse quoq; à Neoptolemo ACHILLIS filio ad Aram occisus est, anno ante Christum natum 1183. Tradunt enim scriptores TROIAM annis 432 ante initium vrbis Romæ euersam esse. Plutarch. in Camillo.

Hoc die mensis primi DANIELI PROPHETÆ postrema visione reuelata est historia à Regibus Persicis vsq; ad aduentum CHRISTI, & inde vsq; ad finem mundi. Daniel. 10. 11. 12. capitibus.

ALBERTVS Imp. Dux Austriæ, Rodolphi Imp. F. à fratris sui filio Iohanne & tribus aulicis familiarissimis iuxta Bruccam oppidum Eluetiorum inter Rysam Arulamq; fluuios nefariè interfectus est anno Christi 1308. cum præfuisset Imperio decennium, sepultus Spiræ.

GEORGIVS Dux Saxoniæ moritur sine liberis anno 1539.

IOHANNES FRIDERICVS DVX SAXONIÆ ELECTOR, dissipato exercitu ad oppidum Mülberg in ripa Albis, circumuentus ab hostibus prælians captus, ad Imperatorem CAROLVM V. perducitur, anno 1547.

Hoc die licet PASQVILLO Romano impunè quælibet de quocunq; publicè notare, enunciare & conqueri, & durat hæc παῤῥησίας impunitas per noctem vsq; ad finitam processionem, quæ fit ab æde D. Petri ad templum Diui MARCI.

M. GEORGIVS RORARIVS Vesperi circa horam V. è Vinis excessit in Vrbe Iena, Anno 1557.

Sinister pes ORIONIS cum Nilo communis vesperi occidit.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. ΣΑΡΜΟΥΘΙ.

XXV. APRILIS.

VII. CAL. MAII.

MARCVS.

Athenis 25. Ἰσθμιλιῶν celebrabatur festum nuncupatum ΠΑΝΤΗΡΙΑ, quo die ALCIBIADES ab exilio Athenas reuersus est. Plutarch. pag. 72. Xenophon ὧν ἑλληνικῶν pag. 436. 437.

Romæ festum agebatur ROBIGALIA, institutum à Numa Rege, quoniam tunc ferè segetes Robigo corrumpit, Plin. lib. 18. cap. 29.

Eodem die GEORGIVS MAIOR sacræ Theologiæ Doctor, natus est Noribergæ anno 1502. dimidia horæ post primam pomeridianam.

Anno 1562. natus est FRIDERICVS VVILHELMVS Dux Saxoniæ, IOHANNIS VVILHELMI Ducis Saxoniæ Filius, VVimariæ paulo ante horam XI. antemeridianam.

XXVI. APRILIS.

ניסן I.

VI. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ,

נִיסָן בּוֹ בּוֹ מֵת יְהוֹשׁוּעַ בִּן נוּן׃

Hoc die existimant Iudæi mortuum esse IOSVAM *filium Nun successorem Mosis, qui populum ex deserto trans Iordanem in terram promissam duxit, & ibi rebus maximis bello & pace gestis annis quadraginta, placidè obijt, anno ætatis decimo supra centesimum.*

M. ANTONINVS *Philosophus Imp. nascitur Annio Vero & Augure* COSS. *Iul. Capitol. Anno Christi 123.*

D. MARTINVS LVTH. *ex conuentu Spirensi saluo conductu manitus dimittitur, eodem Caduceatore deductus, quo fuerat Spiram accersitus 1521.*

Hoc die apoplexia mortuus est VALENTINVS FRIDLAND *Trocendorfius, agens annum ætatis sexagesimum septimum, qui amplius quadraginta annis* GOLDBERGÆ *docuit summa cum fide, diligentia, & fœlicitate doctrinam diuinitus patefactam, & artes Ecclesiæ necessarias, in quem verè hoc competit, quod antiquitas de mortuo Epicharmo prædicauit:*

Πολλὰ γὰ πονηρὰ ζωὰ τοῖς πολλοῖν εἶπε χρήσιμα.
Μεγάλα χάρις αὐτῷ. *Anno 1556.*

Anno 1526. natus est Regiomonte Borussiæ D. M. NICOLAVS IAGENTEVFEL *Pastor Ecclesiæ Annebergensis, circa V. horam pomeridianam.*

HERMANNVS *Turingiæ Landgrauius Princeps fortissimus, Pater Henrici Rom: Regis moritur, Anno 1215. Sepultus Isenaci.*

Obijt Parisijs Iohannes Fernelius Ambianus, Regius Medicus doctissimus 1558.

XXVII. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. V. CAL. MAII.

ΦΑΡΜΟΥΘΙ.

Introducta est ritu solenni ACADEMIA IN VRBEM MARCHIÆ FRANCOFORDIAM SITAM AD VIADRVM *anno 1506. Fuitq; primus Rector* CONRADVS VVIMPINA.

RODOLPHVS HABSBVRGENSIS *Comes, postea Imperator, nascitur anno 1218. quo die* BERTHOLDVS *Dux Zeringensis vltimus, è viuis excesit.*

FLORENTIA *tumultu Pacciano concussa est, in quo Iulianus Medices vndeuiginti vulneribus in summo et ornatissimo templo confossus est. Laurentius filius vulneratus, Franciscus Saluiatus Pisanus Archiepiscopus, & Franciscus Pacius factionis authores de fenestra Curiæ suspensi sunt, Paccij cadauer tractum, & in Arnum abiectum. Iacobus Poggius Oratoris Poggij filius suspensus, deleta est vniuersa Paccianorum stirps masculæ, matronæ & puellæ monasterijs inclusæ sunt anno 1478. Ang. Polit.*

M. MATHIAS FLACIVS ILLYRICVS *Ienam venit, vt ibi Theologiam profiteretur Anno 1557. cum biduo ante Stigelius brachium fregisset.*

XXVIII. APRILIS.

I. נִיסָן

IIII. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

FLORALIA *Romæ celebrata sunt, instituta ex lib. Sybillinis anno Vrbis 516. vt omnia benè defloresçerent. Plin. lib. 18. cap. 29.*

Anno 1555. natus est in arce Cliuensi CAROLVS FRIDERICVS *filius* VVILHELMI *Ducis Iuliacensis, Cliuensis & Montensis, inter quartam & quintam horam matutinam, sole oriente, ex* MARIA *filia* FERDINANDI *Imperatoris Rom.*

XXIX. APRILIS.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ. ΦΑΡΜΟΥΘΙ. III. CAL. MAII.

ALBERTVS FRIDERICVS *Dux Prussiæ* ALBERTI MARCHIONIS *Brandeburgiaci, & Ducis Prussiæ filius,* FRIDERICI *Marchionis nepos, nascitur anno 1553.*

Anno 1559. mortuus est FRANCISCVS OTTHO *Dux Luneburgensis, Ducis* ERNESTI *primogenitus, Marchionis* IOACHIMI II. *Electoris gener, nondum completo tertio mense post nuptias Berlini celebratas.*

XXX. APRIL.

I. נִיסָן

PRIDIE. CAL. MAII. ΞΑΝΘΙΚΟΣ.

L. Annius SENECA Philosophus & Orator excellens, præceptor NERONIS Imp. egressus annum ætatis centesimum decimum quartum, à discipulo Imperatore iussus aut mortem ipse sibi consciscere, aut mortis genus mandatum subire, venas brachiorum & crurum sibi aperiri iussit, & hoc die obijt anno Christi 67. anno Neronis vndecimo, biennio ante occisum PAVLVM Apostolum. Epitaphium hoc ipse sibi paulò ante mortem suam fecit:

Cura, labor, meritum, sumti pro munere honores
Ite, alias posthac sollicitate animas.
Me procul à vobis Deus euocat, ilicet actis
Rebus terrenis, hospita terra vale.
Corpus auara tamen solennibus accipe saxis,
Namq; animam cœlo reddimus, ossa tibi.

GANDAVVM in Flandria Patria CAROLI V. Imp. ab offenso alumno punita, libertatem amisit anno 1540.

M. Anneus LVCANVS, Poëta præstans, iussu NERONIS venas sibi secari fecit, Anno Christi 67.

Hoc die Caroli V. Imperatoris coniunx Isabella Regis Portugaliæ filia, doloribus partus exhausta est, relinquens superstites filium Philippum et duas filias. Anno 1539.

Dextrum genu ORIONIS cum sole occidit.

MAIVS.

אייר Iiar.

Qui & זיו 3. Reg. 6.

SECVNDVS.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.

SVIDAS: Ἀρτεμίσιος παρὰ μακεδόσιν ὁ Μάιος.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

SVIDAS: Σκιροφοριών ἀθηναίων μὴν δωδέκατος.
Vide cætera.

ΠΑΧΩΝ.

Læta Crucis Helenæ reperit pia cura trophæa.
Vinea cùm floret Plebs VRBANVM celebrabit.

I. MAII.

CALENDAE.

אייר II.

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

PHILIPPVS. IACOBVS. VVALBVRG. LARES PRAESTITES

colebantur Romæ. Ouidius:

Præstitibus Maiæ Laribus videre Calendæ
Aram constitui, parnaq; signa Deum.

Mensis secundi die prima post exitum ex AEgypto anno secundo, Dei iussu MOSES ET AARON NVMERARVNT POPVLVM IN DESERTO, *& repererunt 603550 viros egressos annum ætatis vicesimum, non annumeratis Leuitis, quorum erant 22. millia quæ multitudo vniuersa in deserto extincta est propter inobedientiam & ingratitudinem, nec plures de tanta turba quam duo,* IOSVA & CALEB *in terram promissam introducti sunt, Num. 1. & 3.*

Q. Publius Philo II. COS. primus proconsul triumphum egit de Samnitibus & Palæpolitanis, anno vrb. 427.

ISABELLA Caroli V. Imp. vxor mortua, 1539.

ARCADIVS Imperator, Theodosij maioris filius, frater Honorij, princeps mitissimus & pius obijt anno Christi 411. proximo post mortem Iohannis Chrysostomi Episcopi sui, anno ætatis 31. Imperij 27. relicto filio THEODOSIO *octo annorum.*

CAROLI V. Imperatoris equites post victoriam ad Mülberg primum VVitebergæ se videndos præbent, Anno 1547.

Anno 1523 PAVLVS EBERVS *Calendarij huius author primum egressus ex Patria Kithinga, profectus est studiorum causa Onolsbachium, anno ætatis 13. Idem Paulus circumacto anno reuersurus in Patriam propter morbum, eodem die, ab equo consternato raptatus, luxatus multas corporis partes, agens annum ætatis 14. Anno Christi 1524.*

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

II. MAII.

ΠΑΧΩΝ.

VI. NONAS.

FRIDERICVS V. MARCHIO BRANDEBVRGENSIS ALBERTI ACHILLIS *ex Anna filia Friderici II. Ducis Saxoniæ Electoris* FILIVS, *qui ex Domina* SOPHIA, CASIMIRI *Regis Polonici filia, habuit 17. liberos, nascitur anno 1460. minutis 20 post vndecimam, proximam meridiei.*

Hoc mea nata die est HELENE *carissima coniunx, Anno 1523.*

ATHANASIVS *Alexandriæ Episcopus, plurima passus, cum se ceu murum semper Arianis opposuisset, hoc die mortuus est, anno Christi 374. functus Episcopi munere annos 46.*

Anno 1568. obijt EBERHARDVS *Dux VVirtebergensis,* CHRISTOPHORI *ex* ANNAMARIA *filia Georgij Marchionis Brandeburgensis, & Heduuigis Münsterbergensi Filius primogenitus, Anno ætatis 24. inchoato, die 7. Ianuarij.*

III. MAII.

V. NONAS.

אִיָּר *II.*

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

MAHOMETES II. Imperator Turcicus, qui Constantinopolin & vicina loca Imperatoribus Græcis ademit, totius orbis imperio inhians, missis tribus exercitibus, vno in Italiam, qui Hydruntem occupauit, altero in insulam Rhodum, cum tertium ipse in AEgyptum ducturus, ad vrbē Bithiniæ NICOMEDIAM traiecisset, hoc die colicis doloribus extinctus est, anno Christi 1481. Iouius.

IOACHIMVS Dux Saxoniæ, Ducis AVGVSTI Electoris filius quartus, nascitur anno 1557.

Dominus Caspar Bornerus S. Theologiæ Doctor moritur Lipsiæ Anno 1547.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

IIII. MAII.

IIII. NONAS.

Hoc die Sigismundus Rex Poloniæ celebrauit nuptias Gracoviæ, matrimonio sibi iungens filiam Ferdinandi Imperatoris Romanorum. Anno 1541.

ΚΥΩΝ Sirius
&
In baltheo ORIONIS præcedens vespertino occidunt,
ΑΝΤΑΡΗΣ Cor Scorpij mane occidit,

V. MAII.

אִיָּר II.

III. NONAS.

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

IESVS CHRISTVS FILIVS DEI ET MARIÆ VIRGINIS quadrageſimo die poſt reſurrectionem, læto triumpho, ſtipatus comitatu ſimul reſuſcitatorum Patrum, ASCENDIT AD COELOS, VBI SEDENS AD DEXTERAM ÆTERNI PATRIS ÆTERNVS SACERDOS ET REX, intercedit pro nobis & tuetur Eccleſiam ſuam aduerſus inſidias & violentiam hoſtis Diaboli. Marci & Lucæ vltimo.

FRIDERICVS III. Dux Saxoniæ Elector, ERNESTI filius, hoc die moritur, anno Chriſti 1525. ſepultus VViteberga in choro Cœnobij Franciſcanorum.

Imperator CAROLVS V. & frater FERDINANDVS Rom. Rex, traductis copijs ſuis in hanc citeriorem ripam Albis, vrbem VVitebergam obſident, poſitis caſtris in pago Academiæ VVitebergenſis PISTRICIA, vbi commorati ſunt vſq; ad 7. diem Iunij, dies 34. Anno 1547.

In baltheo ORIONIS media cum Sole occidit.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

VI. MAII.

PRIDIE NONAS.

VRBS ROMA tertia oppugnatione capta & direpta eſt à militibus Cæſarianis, Germanis & Hiſpanis, quorum Dux erat CAROLVS BVRBONIVS, qui in oppugnatione poſtrema ictus globo Bombardæ incautius emiſſo à quodam ſuorum militum, eodem die mortuus eſt, anno Chriſti 1527. vt habet diſtichon:

Altera poſt captos Gallos populiq; furores
AEſtas, te capta, ROMA, cruenta fuit.

C. Martius Rutilus Dictator de Tuſcis triumphum egit anno vrb. 397.

Anno Chriſti 1481. mortuus eſt MAHOMET II. Primus Imperator Turcarum, qui Chriſtianis duas Imperiales ſedes Conſtantinopolim & Trapezuntem, XII. Regna, centum inſignes Vrbes eripuerat, Anno gubernationis 31. Auentinus.

OTHO HENRICVS Palatinus Rheni, PHILIPPI filius naſcitur, Anno 1496.

Marchio Brandeburgenſis IOACHIMVS II. Elector ad Imperatorem venit in caſtra ad VVitebergam, gratulaturus ei victoriam & deprecaturus pro captiuo Electore, 1547.

HYADES diebus ſequentibus 4. cum Sole occidunt. Humerus ſiniſter ORIONIS & in Baltheo ſequens veſperi occidit.

VII. MAII.

אִיָּר II.

NONAE MAII.

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

OTTO PRIMVS appellatus MAGNVS, HENRICI AVCVPIS filius, decimus Imperator Germanicus, rebus maximis gestis, & constitutis Ecclesijs Episcopalibus, MAGDEBVRGENSI, MISNENSI BRANDEBVRGENSI, MERSBVRGENSI, ZICENSI, mortuus est in oppido QVEDELNBVRG, & sepultus MAGDEBVRGI, anno imperij 36. Anno Christi 974. Quo anno etiam Diuus VLRICVS Episcopus Augustanus decessit.

Milites TITI primo muro difficili oppugnatione superato, partem vrbis Ierosolymæ è regione templi, dictam BEZETHA occupant, anno 73. post CHRISTVM natum.

C. Sulpitius Peticus II. COS. triumphum egit de Gallis anno vrb. 395.

Anno 1557. die ♀ ante inchoatas nondinas Lipsicas, opt. & integerr. V. SIGISMVNDVS ORTEL Patritius Noribergensis, proficiscens ad Mercatum cum alijs 30 Mercatoribus ex interuallo sequentibus, in conspectu Vrbis Lipsiæ, à nobilis cuiusdam ministro, iussu Domini, ictus globo bombardæ ita periculose vulneratus, vt ægre perlatus Lipsiam eadem nocte expirauerit. Biduo post, hoc est, Dominica Iubilitate, in templo Paulino cum maxima hominum commiseratione, honorifice sepultus est.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

VIII. MAII.

VIII. IDVS.

ANDREAS ALCIATVS IVRECONSVLTVS excellens nascitur in ducatu Mediolanensi, anno 1492.

IX. MAII.

VII. IDVS.

II. אִיָּר

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

LEMVRIA

Nocturna sacra tribus noctibus non continuis, sed interueniente semper vna nocte, celebrata sunt Romæ ad fugandos ex domibus Lemures & terriculamenta nocturna. Ouidius 5. Fast.

ACADEMIA BONONIENSIS hoc die inchoata & confirmata est à THEODOSIO Imperatore, Anno Domini 423. Priuilegium Bononiæ legitur ære incisum in S. Petronio, marmori in S. Dominico.

Inclytus Dux Pomeraniæ GEORGIVS Ducis BVGSLAI filius, Pater Ducis PHILIPPI, mortuus est anno 1531.

AVGVSTINVS SCHVRF Artis Medicæ Doctor vir sapiens & bonus in Vigilia Ascensionis moritur, Anno 1548.

Anno 1567 natus est Dominus IOHANNES GEORGIVS Princeps in Anhalt, Principis IOACHIMI ERNESTI ex AGNE filia VVolffgangi Comitis Barbiensis, primogenitus, hora decima diei, in opp. Harciniæ Hatzkeroda.

PLEIADES cum sole occidunt.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

X. MAII.

VI. IDVS.

Mensis secundi die 10. accipit mandatum NOHA à Deo, vt in extructam à se arcam intra spacium 7. dierum importet victum necessarium futurum familiæ & animalibus, & introducat ex omnibus speciebus animantium immundorum singula paria, mundorum verò septena paria, Genes. 6. & 7.

PLEIADVM *EXORTVS MATVTINVS ÆSTATIS INITIVM afferre olim credebatur, vt testatur Plin. aliquoties lib. 18. item lib. 2. cap. 47.*

IOHANNES ERNESTVS Dux Saxoniæ Ducis IOHANNIS ELECTORIS filius natus est Coburgi, anno 1521. dimidia hora post septimam pomeridianam, mortuus ibidem 8 die Februarij, Anno 1553. ætatis 32. Anno vt Alexander Magnus.

אִיָּר י בּוֹ מֵת עֵלִי הַכֹּהֵן וּבָנָיו וְנִשְׁבַּרַת הָאָרוֹן׃

Hoc die mensis Iiar credunt Iudæi acceptam esse illam miserandam cladem, qua interfecta sunt 30. millia de Israël vnà cum duobus contumacibus filijs Eli, Ophni & Phinees, & Arca Domini à Philistæis capta & abducta est, qua clade audita, Eli duobus annis minor centenario de sella delapsus ceruicem fregit, & nurus grauida accelerato per consternationem partu extincta est, 1. Reg. 4.

Anno 1556. mane hora 2 diluculi, qua Turcici Sacerdotes populum clara voce ex turribus ad preces conuocare solent, cum esset dies dominica Rogationum, horribilis terræmotus Constantinopolin concussit, oppressis aliquot millibus hominum.

Anno 1566. Tubingæ obijt excellens Medicus LEONHARDVS FVXIVS.

ΛΑΜΠΑΔΙΑΣ cum Sole occidit.

XI. MAII.

II אִיָּר

V. IDVS. ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

LEMVRIA II.

IOHANNES BAPTISTA MONTANVS excellens Medicus, qui Patauij ſumma cum admiratione multos annos artem medicam profeſſus eſt, hoc die in villa ſua, quam habuit in agro Veronenſi, phreneſi extinctus eſt, Anno 1551. Anno ætatis 63. Alij referunt ad 6. diem Maij.

Anno 1568. natus eſt CHRISTIANVS Princeps in Anhalt, Principis Ioachimi Erneſti filius ex AGNE VVolffgangi Comitis Barbienſis filia, 50. minutis poſt horam pomeridianam tertiam. Baptiſatus XVII. Maij.

XII. MAII.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

IIII. IDVS.

ΠΑΧΩΝ.

CHRISTOPHORVS DVX VVIRTEBERGENSIS Ducis HVLDERICI filius naſcitur, Anno 1515. minutis 18. ante ſecundam horam matutinam, mortuus 28. Decembris, Anno 1568. durante adhuc Colloquio Aldeburgenſi.

Q. Fabius Vibulanus III. & L. Cornelius COSS. de Volſcis & Antiatibus triumpharunt, anno vrb. 294.

Noriberga obſidetur à Marchione Alberto, 1552.

XIII. MAII.

אייר II.

III. IDVS.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.

LEMVRIA
postrema.

IOHANNES EPINVS S. Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Hamburgensis Superintendens obijt anno 1553. ætatis suæ anno 54.

M. IOHANNES STIGELIVS Gothanus Poëta excellens, hoc die natus est, anno 1515. vt fatetur ipse in quodam epigrammate:

Hæc est prima dies, decimum quæ tertia Maij
Pone sequens, cunis fulsit oborta meis.
Festa erat illa dies, tibi Christe dicata redemtor,
Nominis à titulo nomen adepta tui.

Obijt Ienæ die Cinerum, Anno 1562. nondum completo anno ætatis 47.

Anno 1534. Landtgrauius Hassiæ PHILIPPVS reducens in amissum Ducatum HVLDERICVM Ducem VVirtebergensem, profligauit copias Regis Ferdinandi ad oppidum Lauffen, in qua fuga PHILIPPVS Palatinus Rheni amissa calce pedis globo bombardico, captus est.

Nebulosa in capite ORIONIS cum Sole occidit.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

XIIII. MAII.

ΠΑΧΩΝ.

PRIDIE IDVS.

Hic dies secundi mensis erat diuino mandato destinatus AD CELEBRATIONEM PASCHÆ ijs qui iusto tempore, hoc est, 14 die superioris mensis vel non fuerant mundi, vel profectione aliqua necessaria impediti comedere Pascha cum alijs non potuerant. Num. 9.

Eo die etiam EZECHIAS CELEBRAVIT PRIMVM PASCHA, quod multis annis ante ipsum fuerat omissum occupatis antecessoribus Regibus et vniuerso ferè populo alijs infinitis cultibus idolatricis. Ideò autem in hunc mensem reiecit festiuitatem, quòd templum primo mense totis sedecimdiebus vix purgari à squalore & sordibus, & expiari solenni ritu potuerat, & Sacerdotes tunc magna ex parte immundi fuerant, & plurimi ciues peregrè abfuerant. Quare habita deliberatione hic dies mensis secundi ad Paschæ celebrationem visus est conueniens propter supra allegatum exemplum, 2. Para 30.

RVPERTVS Palatinus Rheni PHILLIPPI Electoris filius, Pater Otthonis Henrici & Philippi nascitur anno 1481.

Hoc die Christophorus Vdalrici Ducis Wirtenbergensis filius nascitur. Anno 1515.

XV. MAII.

IDVS.

II. אִיָּר

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.

Decimo quinto die 2. mensis, hoc est, tricesimo die post egressum ex AEgypto, POPVLVS ISRAELITICVS DVCE MOSE PERVENIT IN DESERTVM SIN, *vbi consumtis iam omnibus azymis & tota massa farinaria, quam secum ex AEgypto asportauerant, impatientes famis acerbè inuehuntur in Moysen ducem. Deus autem eodem die vesperi misit intra castra magnam vim Coturnicum, & promisit in posterum diem panis copiam. Exodi 16.*

Hoc die, anno quo mortuus & resuscitatus est Christus, fuit celebratum FESTVM HEBDOMADVM, DICTVM PENTECOSTE, QVO DIE CONGREGATI DISCIPVLI CVM MATRE CHRISTI VIRGINE MARIA, ACCEPERVNT SPIRITVM SANCTVM EFFVSVM VISIBILI SPECIE, cœperuntq; loqui alijs linguis miranda opera Dei, effecta per CHRISTVM crucifixum & resuscitatum. Acto. 2.

ARGEORVM SCIRPEA SIMVLACHRA *de ponte Sublicio abijciebantur in Tyberim quotannis Romæ.*

MERCATORVM *dies festus Romæ, quòd eo die Mercurij ædes dedicata. Sex. Pom.*

C. Plautius Proculus COS. *de Hernicis triumphum egit, anno vrb. 395.*

Anno 1567. natus est CHRISTOPHORVS *Filius VVolffgangi comitis in Barbi hora 8 antemeridiana.*

Scriptum continens fucosam conciliationem dissentientium partium in Ecclesia, cui infaustum nomen erat INTERIM, *hoc die promulgatum fuit* AVGVSTÆ, *Anno 1548.*

Humerus dexter ORIONIS cum Sole occidit.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

XVI. MAII.

XVII. CAL. IVNII.

Hoc die mensis secundi post exitum ex AEgypto, MANE DEVS DEMISIT IN ARBORVM FOLIA ET HERBAS MANNA, *quo innumerabilem multitudinem Iudæorum 40. totos annos in deserto aluit, comprobans illud suum dictum, quod à Christo quoq; celebratum est:* NON IN SOLO PANE VIVIT HOMO, SED IN OMNI VERBO, QVOD EGREDITVR DE ORE DOMINI. *Exodi 16.*

VALENTINIANVS *Iunior, Valentiniani magni filius, in Palatio strangulatus, sequente die, qui erat Pentecostes primus, effertur. Erat tunc secundum AEgyptios mensis Pachon dies 21. iuxta Græcos Artemisij mensis dies 23. secundum Romanos XVII. Calendas Iunias. Hæc Epiphanius.*

EGRA *vrbs celebris in finibus Boiemiæ versus Franciam Anno Christi 1270. temerè orto incendio miserrimè vastata & in cineres collapsa est, extinctis amplius 150. hominibus vtriusq; sexus, & consumtis omnibus ciuitatis priuilegijs & monumentis.*

MICHAEL MARVLLVS *Constantinopolitanus, qui Hymnos Latinos scripsit de dijs Gentium, iter faciens, in Cecina amne Hetruriæ submersus est, Anno 1411.*

XVII. MAII.

אִיָּר II.

XVI. CAL. IVNII. ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

Mensis secundi die 17. NOHA MANDATO DEI OBSEQVENS INGRESSVS EST IN ARCAM cum vxore, tribus filijs & eorum coniugibus, post quos Deus foris omnes partes nauis obstruxit & munijt aduersus vim imbrium & fluctuum, eodemq; die ceperunt ruere largissimi imbres, & exundare omnia flumina continuos dies 40. Gene. 7.

ALBERTVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS, FRIDERICI V. ex SOPHIA Filia Casimiri III. Regis Poloniæ, Sorore Vladislai Vngariæ & Sigismundi Poloniæ Regum FILIVS, Alberti Achillis Nepos PRIMVS DVX BORVSSIÆ, nascitur in oppido Franciæ ONOLSBACH anno 1490. hora decima antemeridiana, seu duabus horis ante meridiem, obijt 20. die Martij mane hora 6. Coniuge eum sequente eodem die interuallo 16. horarum, hoc est, hora X. noctis Anno 1568. vt supra annotatum est.

Anno 1524. Fuldæ παρήλια cum iridibus conspecta sunt, & secuta est Rusticorum seditio, & Regis Galliarum Francisci captiuitas anno proximo.

CVNRADVS A TVNGEN Episcopus VVirceburgensis mortuus est anno ætatis 74. Episcopatus 22. Christi 1540.

IOHANNES ALBERTVS Marchio Brandeburgensis, FRIDERICI filius, ALBERTI Ducis BORVSSIÆ frater, Archiepiscopus Magdeburgensis & Halberstadensis, mortuus est anno 1550.

Chelæ seu libræ Borealis fulgida matutino occidit.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ. ΠΑΧΩΝ.

XVIII. MAII.

XV. CAL. IVNII.

לג בעומר

Iudæi & præcipuè studiosi celebrant conuiuia hoc die, quem numerant à manipulo oblato tricesimum tertium diem, ob talem causam, quòd aliquando pestis, quæ horribiliter grassata fuerat, & triginta millia Scholasticorum extinxerat, circa hunc diem remiserit.

T. Manlius Imperiosus Torquatus III. COS. de Latinis, Campanis, Sidicinis triumphum egit anno vrb. 413.

RVPERTVS Imp. Bauariæ dux & Rheni Palatinus, cognomine Parvus, obijt in Oppenheim, anno Christi 1410. imperij decimo, sepultus Heidelbergæ in æde S. Spiritus.

IOHANNES FRIDERICVS Dux Saxoniæ ELECTOR captiuus, in castris ad VVitebergam territus sententia capitalis supplicij iam de ipso, vt dicebant, lata à victore Imperatore CAROLO V. oblatas conditiones accipiens de abdicando Electoratu & alias, vitam redemit, reseruata tamen sibi salua & integra professione synceræ doctrinæ Euangelij, ad cuius abnegationem nullius periculi aut mali minis adigi potuit, Anno 1547.

XIX. MAII.

II. אִיָּר

XIIII. CAL. IVNII.

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

MAHOMETES Chalcidem Eubœæ post tricesimum obsidionis diem proditione Liburni militis capit, & Italos milites omnes palis affigit, anno 1470. Alij factum scribunt 15. Iulij.

Illustrissimi Duces Saxoniæ, D. IOHANNES FRIDERICVS et D. IOHANNES VVILHELMVS Filij Electoris capti, impetrato saluo conductu, egrediuntur in castra Imp: Caroli V. acturi de conditionibus pacis, Anno 1547. die Ascensionis Domini, ♃.

Anno 1552. circa horam quartam Vespertinam captiuo Electori IOHANNI FRIDERICO Duci Saxoniæ in oppido Comitatus Tirolensis OEniponte, in horto adiuncto arci, à Rege Ro: Ferdinando nomine Fr. CAROLI V. Imp. denunciata est liberatio à captiuitate, quæ vltra quinquennium duraverat. Eadem hora, eiusdem diei, VVitebergæ & per totam viciniam sæua tempestas fuit, quæ grandinem & imbrem largiß: effudit, & fulmine comminuit repagulum seu obicem ligneum extra portam, qua ad Albim itur, quo equites arcentur.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

XX. MAII.

XIII. CAL. IVNII.

BERNHARDINVS Senensis.

Cùm populus Israël ad montem Sinai consedisset vndecim menses & viginti dies, quo spacio legem accepit, & Tabernaculum & Arcam fœderis cum alijs omnibus instrumentis ad cultus legis pertinentibus fabricauit, sicut illa describuntur copiosè à 19. cap. Exodi ad finem vsq; libri, & per totum Leuiticum, & prima capita sequentis libri, vsq; ad caput 10. Numerorum, HOC DIE ANNO SECVNDO POST EXITVM EX AEGYPTO NVBE ELEVATA A TABERNACVLO, SIGNVM PROFECTIONIS ACCEPIT, & motis castris à monte Sinai processit tridui viam in deserto, Num. 9. & 10.

PETRVS BEMBVS Cardinalis vir doctißimus nascitur ipso meridie anno 1470.

1547. VVitebergæ in concione militari exponuntur conditiones latæ ab Imp. Carolo V. nisi fiat vrbis deditio, captiuum Electorem periclitaturum de vita, Die ♌.

ἈΝΤΑΦΗΣ Cor Scorpij vesperi oritur.

XXI. MAII.

XII. CAL. IVNII.

אִיָּר 11.

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

LVDOVICVS PIVS Imp. CAROLI MAGNI filius, obijt anno Christi 840. Praecesserunt obitum eclipsis Solis & Cometa.

HERMOLAVS BARBARVS nascitur, anno Christi 1453. obijt eodem die, anno ætatis 41.

Eodem die præstantissimus in Germania pictor & vir optimus ALBERTVS DVRERVS nascitur, anno 1471. minu. 20. post 10 antemeridianam.

PHILIPPVS HISPANIARVM REX, CAROLI V. IMPERATORIS PRIMOGENITVS, nascitur in valle Doleti, cuius loci longitudo est 8 1/3 latit. 42 1/3 Anno 1527. quadrante horæ post quartam pomeridianam.

M. LVCAS HEZER Torgensis, minister verbi diuini in Ecclesia VVitebergensi moritur, anno 1558. mense vno post pastoris sui Doctoris Iohannis Bugenhagij obitum.

1547. VViteberga mittuntur alij decem legati in castra Imperatoris Caroli V. ad explorandam certo voluntatem Electoris capti, de oppidi deditione, & petendam absolutionem à fide obedientiæ seu homagij, Die ♄.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

XXII. MAII.

XI. CAL. IVNII.

Populus Israël tridui itinere à monte Sinai per deserta loca sine intermissione confecto, fractus difficultatibus, & pertæsus laborum, ægrè ferre cœpit erratonum assiduitatem, & murmurare contra Moisen: Ob quam impatientiam Deus iratus, FVLMINE ACCENDIT POSTREMAM PARTEM CASTRORVM, vbi cùm ignis grassaretur ita atrociter, vt videretur vniuersa castra semel absumturus, ægrè tandem precibus ad Deum et lachrimis Moisis ac trepidæ multitudinis incendium restinctum est. Num. 11.

CONSTANTINVS MAGNVS, PRIMVS EX CHRISTIANIS IMPERATOR, qui sedem Imperatorum ex Italia transtulit BYZANTIVM magnificè extructum, & à se appellatum CONSTANTINOPOLIN, dum molitur bellum aduersus Persas Mesopotamiam vastantes, hoc die moritur NICOMEDIÆ, anno imperij 31. anno Christi 342.

CHRISTOPHORVS HAGIVS Senior, Ciuis & Senator Kitthingensis nascitur dimidia post 10 noctis, Anno 1547.

Dux Saxoniæ MAVRICIVS Elector subito occupatis Faucibus & Arce Ernburg, progressus celerrime occupat OEnipontem, vnde Imperator Carolus V. raptim fugiens vix euaserat, Anno 1552.

1547. Dominica Exaudi reuersis & auditis in concione militari Legatis, decernitur deditio vrbis VViteberga, & soluuntur stipendia militib. de Clinodijs Elect.

XXIII. MAII.

אִיָּר II.

X. CAL. IVNII.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.

SIMON ASMONEVS IVDÆ MACCHABEI FRATER, ARCEM IEROSOLYMITANAM, quam Antiochi præsidium eò vsq; tenuerat, & ciues perpetuis excursionibus vexauerat, fame expugnatam, EXPIAT SOLENNI RITV, cum magna totius ciuitatis lætitia, & quotannis hunc diem ad posteritatem festiuo gaudio celebrari mandat, 1. Macch. 13. cap.

HIERONYMVS SAVANOROLA Ferrariensis cum Syluestro Florentino, & Dominico de Pisa, ordinis prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocati, postea cremati sunt iussu ALEXANDRI VI. Papæ, 1498.

VVOLFFGANGVS MEVRER Philosophiæ & artis Medicæ Doctor & Professor in Academia Lipsensi, nascitur inter secundam & tertiam horam pomeridianam, Anno 1513.

Die ☽ post Exaudi vrbs VVITEBERGA post mensis obsidionem, voluntate & iussu Ducis IOHANNIS FRIDERICI Electoris captiui, clementiæ Imperatoris CAROLI V. dedita est, & educto præsidio recepta sunt intra vrbem tres cohortes militum Cæsareanorum 1547.

Eodem die & anno exercitus Cæsareanus, quem ducebat ERICVS Dux Brunsuicensis, cæsus est ad arcem Drakenborch prope Bremam.

RHODVM primùm obsidione cinxit Mahometes II. anno Christi 1480. vnde tamen militum Rhodiensium virtute repulsus, multis suorum amissis re infecta aufugit.

VRBANVS REGIVS Theologus excellens, Cellæ obijt, Anno 1541.

ADOLPHVS Comes Nassaensis, Rector VVitebergensis, occubijt in prælio contra Hispanos, pro defensione VVilhelmi principis Vraniæ fratris ad Groningam, Anno 1568.

IOHANNES EBERVS honestus Ciuis Kitthingensis Pater D. PAVLI EBERI, in pia Inuocatione moritur Anno 1534.

Vltima Aquæ in ore piscis marini oritur mane.

III סיון

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ.

ΠΑΧΩΝ.

XXIIII. MAII.

IX. CAL. IVN.

Hoc die Rodolphus Romanorum Imperator Secundus, honorifica obuiatione excepta, magna cum pompa & solemnitate Vratislauiam ingressus est, una cum duobus fratribus Matthia & Maximiliano, Archiducibus Austriæ. Anno gubernatis Gratiæ 1577. horam paulò ante undecimam horologij maioris.

Cc

AQVILA vespertino oritur.

XXV. MAII.

VIII. CAL. IVNII.

אייר *II.*

ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

VRBANVS.

SER. TVLLVS Rex Romanorum triumphum egit de Etruſcis anno vrb. 86.

Carolus V. Imp: tertio die poſt factam deditionem VViteberg æ, vrbem, cum paucis comitibus ingreſſus, perluſtrat, eodemq; die egreſſus Piſtriciam redijt in caſtra anno 1547.

Hoc biduo HYADES mane oriuntur cum Sole.

XXVI. MAII.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΏΝ

ΠΑΧΏΝ.

VII. CAL. IVNII.

GERMANICVS Druſi filius triumphauit de CHERVSCIS, CATTIS, ANGRIVARIIS, alijsq; nationibus, quæ vſq; ad ALBIM colunt. Cornelius Tacitus.

FRIDERICVS Dux LVNEBVRGENSIS, Ducis ERNESTI F. naſcitur Cellæ Anno 1532. ante diluculum dimidio horæ poſt ſecundam. Occubuit Anno ætatis 21. accepto vulnere in prælio commiſſo cum Marchione Alberto ad Schiferhuſen Anno 1553. in quo & Dux Mauritius lethaliter vulneratus eſt.

FERDINANDVS tunc Archidux Auſtriæ, frater CAROLI V. Imp. nuptias celebrauit in oppido Auſtriæ Lintz cum Regina ANNA filia VLADISLAI Regis Vngariæ, Sorore LVDOVICI Regis Vngariæ & Boiemiæ anno 1521.

XXVII. MAII. אִיָּר II.

VI. CAL. IVNII. ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

Mensis secundi die 27. elapso iam anno, cum prorsus exiccata esset terra ab aquis diluuij, NOHA IVSSVS EX ARCA EGREDI SACRIFICAVIT ΣΩΤΗΡΙΑ, *& accepit signum clementiæ Dei,* ARCVM COELESTEM, *ne similem posthac cladem generis humani ab aquis vnquam metuat, Gene. 8 & 9.*

DANTES *Florentinus Poëta nascitur anno Christi 1265. moritur in exilio, sepultus Rauennæ.*

LVDOVICVS *Landgrauius Hassiæ* PHILIPPI *Landgrauij filius tertius, nascitur, Anno 1537. mane dimidia hora ante secundam.*

Ignis de cœlo delapsus cum vnico tonitru, sereno magna ex parte cœlo, post meridiem domum in oppido Hassiæ GIESSEN *incendit, quo incendio, intra duas horas, 164 domus conflagarunt, anno 1560.*

Anno 1511 nascitur in oppido Schleusing Illustris GEORGIVS ERNESTVS *Comes Hennebergensis.*

IOHANNES *Caluinus obijt Geneuæ, quæ caput est Allobrogum, sita ad radices montis Iura, Anno Christi 1564. nondum completo anno ætatis 55.*

ΛΑΜΠΑΔΙΑΣ Oculus Tauri ex Hyadibus lucidissima, mane oritur.

XXVIII. MAII.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ. ΠΑΧΩΝ. V. CAL. IVNII.

אִיָּר בַּר בּוֹ מֵת שְׁמוּאֵל הַנָּבִיא׃

Hoc die mensis Iiar Iudæi putant mortuum esse Samuëlem Prophetam.

M. Cæcilij Rufi, & C. Cæcilij Calui oratorum natalis, C. Mario Cn. Papirio Carbone III. COSS. Anno vrb. 627. Plinius lib. 7. cap. 49.

IOHANNES VVILHELMVS *Dux Iuliacensis VVilhelmi Ducis Iuliacensis, Cliuensis & Bergensis secundus filius natus est mane inter 1 & 2. horam noctis, Anno 1562.*

Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector captiuus ex castris Imperatoris Caroli V. VVitebergam in arcem adducitur ad coniugem & filios anno 1547.

XXIX. MAII.

II. אִיָּר

IIII. CAL. IVNII. ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.

MAHOMETES II. TVRCARVM IMPERATOR, post longam & difficilem obsidionem EXPVGNAVIT CONSTANTINOPOLIN, & Imperatoris Constantini in fuga occisi caput palo affixum circumgestari in vrbe iussit. Coniugem autem eiusdem & filiam & alias nobiles virgines introductas ad conuiuium, & à Satrapis stupratas, postea frustulatim concidi mandauit, & alia infinita crudelitatis inaudita exemplo edidit, anno Christi 1453.

XXX. MAII.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ. III. CAL. IVNII.

ΠΑΧΩΝ.

Natus est GEORGIVS PVRBACHIVS Bauarus praeceptor REGIOMONTANI, excellens Mathematicus, anno 1423. hor. 3. post meridiem.

Hoc die Nobilis ac praestans Vir Dn: Lucas Vtman Ciuis Reipub. Vratislauiensis primarius, pie Vratislauiae moritur. Anno M. D. LXXII.

XXXI. MAII. אִיָּר II.

PRIDIE CAL. IVNII. ἈΡΤΕΜΊΣΙΟΣ.

M. MARCELLVS vir conſularis partium Pompeianarum, cui veniam à C. IVLIO CÆSARE dictatore, interceſſione Ciceronis & fratrum ſuorum impetraſſet, antequam domum reuerteretur, interfectus eſt nefariè à Cliente & familiari ſuo P. Magio Chilone.

BEDA Monachus & Præsbyter Cœnobÿ ſanctorum Petri & Pauli in Anglia, inſignis Theologus & Hiſtoricus, moritur ſub Imperatore LEONE anno Chriſti 738. ætatis ſuæ 72.

Anno Chriſti 800. fortiſſimus heros RVLANDVS, CAROLI Magni ex ſorore nepos, in Pireneis montibus poſt ardentiſſimos prælij labores ſiti extinctus eſt, vt exiſtimatur.

Anno 1509. Bernæ in Heluetia 4. fratres Dominicani prius tortura excruciati & omnibus priuilegÿs clericorum ſpoliati comburuntur, propterea, quòd contradixerant ÿs, qui contra ſcripturæ teſtimonia contendebant, virginem MARIAM matrem Domini ſine peccato fuiſſe conceptam & natam.

Dominus Hieronymus Bomgartnerus, Senator & legatus Noribergenſis Ciuitatis, rediturus ex conuentu Spirenſi, interceptus, in vinculis cuſtoditur ab Alberto à Roſenberg Anno 1544.

IVNIVS.

סִיוָן Siuan. TERTIVS. Eſther 9.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

Qui & ΔΑΊΣΙΟΣ à Plutarcho & ΔΆΣΙΟΣ à Suida dicitur. A Bœotÿs ΙΠΠΟΔΡΌΜΙΟΣ. Plutarch. Camillo. Idem in Arato Dæſium coniungit cum Antheſterione. pag. 358.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

Dictus etiam ΚΡΌΝΙΟΣ. Plutarch. Theſeo. Idem ἑκατομβαιῶνα dicit à Macedonibus vocari ΛΩῸΝ in vita Alexandri Magni, ſicut Ioſephus quoq; cùm de morte Aaronis loquitur, hos menſes coniungit.

ΠΑΥΝΙ.

Ardua Solis equos trahis ad faſtigia VITE.
Agni monſtrat onus ſed Baptiſtes tibi PETRE.

I. IVNII.

סִיוָן *III.*

ΔΕΥΤΙΟΣ.

CALENDAE.

Mense III. egressionis ex AEgypto in die hac, hoc est, vt omnes ferè interpretantur, die prima PERVENIT POPVLVS DVCE MOSE IN SOLITVDINEM AD MONTEM SINAI, *vbi commoratus integrum annum fermè, legem Dei accepit, & tabernaculum cum omnibus vasis ad sacrificia necessarijs iuxta Dei præscriptum fabricauit. Exod. 19.*

CALENDÆ FABARIÆ *dictæ, quo die* CARNÆ *Deæ sacra faciebant Romani, & recentes fabas comedebant cum farre, ne viscera illo anno laderentur. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 12. Ouid. 6. Fast.*

C. Martius Rutilus COS. *de Pruernatibus triumphum egit anno vrb. 396.*

LVDOVICVS *Dux VVirtebergensis, Ducis* CHRISTOPHORI *filius secundus, nascitur anno 1554. Hæc sunt scribenda ad 1. Ianuarij.*

D. Paulus Eberus primum venit VVitebergam Anno 1532.

II. IVNII.

IIII. NONAS ΔΕΥΤΙΟΣ.

DIDIVS IVLIANVS Imp. cuius fraudibus optimus Imperator AElius Pertinax crudeliter à militibus occisus creditur, hoc die à Septimio Seuero ipse quoq; interficitur 7. mense imperij, vel vt alij 65. die, Anno Christi 194.

HENRICVS IIII. Imp. Romam cepit, & ea parte inuasit, quæ à Leone Ponti. vrbs Leonina appellata fuit, Anno Christi 1083. & adegit ciues, vt promitterent, se ad Cal. Nouembres velle sistere coram Imperatore HILDEBRANDVM Pontificem Roman. & totum Senatum. Sed cum Papa ad constitutum diem comparere nollet, communi decreto Imperatoris & ciuium Rom. remotus à sede Papali, fecesit Salernum, eoq; in exilij loco defunctus est, confessus ante mortem, se iniustè persecutum fuisse Henricum IIII. Imperatorem, Vrsper:

Anno 1527. Torgæ celebratæ sunt nuptiæ Iohannis FRIDERICI Electoris cum SIBYLLA Ducissa Cleuensi.

Anno 1484. Matthias HVNIADES Vngariæ Rex à 23. die Ianuarij ferme per quinq; menses obsessam vrbem Austriæ Viennam, coëgit hoc die deditionem facere, quam post sex annos demum MAXIMILIANVS Rom. Rex viuente adhuc Patre FRIDERICO IIII. Imperatore recuperauit, Anno 1490. quo & mortuus est Rex MATTHIAS.

Anno 1575. M. Wolfgangus Schuler in Academia witebergensi Professor et Mathematicus celeberrimus, pie moriens Witeberge, Hora nostra undecima.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ. ΠΑΥΝΙ.

III. IVNII.

III. NONAS.

ERASMVS.

M. Fabius Ambustus de Tiburtibus triumphum egit anno vrbis 399.

CAROLVS Archidux Austriæ FERDINANDI Imp. Romani filius, natus est anno Christi 1540. dimidia hora post quartam matutinam Viennæ.

Dux Sax. Iohannes Frid. Elect. captiuus rursus ex opp. VViteberga reducitur in castra tristi specie, 1547.

Hoc die Rodolpho secundo Romanor. Imperatori, ciues Vratislauienses oredis ad sancta Vigilis fidem suam obstrinxerunt.

IIII. IVNII.

סיון III.

PRIDIE NONAS. ΔΕΥΤΙΟΣ.

CVNRADVS Imp. Rom. HENRICI tertij pater obijt Traiecti, sepultus Spirae Anno Christi 1039.

BLONDVS FLAVIVS Historicus inter recentiores diligentissimus, moritur Romae anno 1463. etatis 75.

HENRICVS Dux LVNEBVRGENSIS Ducis ERNESTI F. nascitur Cellae mane hora 4. circa Solis ortum Anno 1533.

Anno 800. mortua est Lutharda coniunx Caroli Magni Regis Francorum

Caspar à Logau Eps Vratislauiensis moritur Vratislauiae Anno 1574. post horā 8 matutinā.

ἑκατομβαιών. V. IVNII.

ΠΑΥΝΙ. NONAE.

BONIFACIVS,

Qui doctrinam de Christo propagauit in Frisia, ab incolis deditis Idolatriae hoc die anno Christi 755. occisus est. Trithem:

PVGNA LEVCTRICA. Quinto die mensis ἑκατομβαιῶνος Lacedaemonij magna strage caesi sunt à Thebanis duce PELOPIDA & EPAMINONDA, ad oppidum Boeotiae LEVCTRA, non procul à sepulchro filiarum SCEDASI, quas iam olim duo Spartani iuuenes hospitaliter excepti absente patre per vim stupratas interfecerant, ad quod sepulchrum postea pater Scedasius, cum nequicquam magistratus Spartani vindictam imploraſſet, se quoq; ipse confodit. Excitauerat autem id bellum AGESILAVS vir alioqui praestans, sed tunc nimis iracundus & pertinaci odio in Thebanos indulgens, quo bello vires ciuitatis Spartanae prorsus sunt fractae. Plutarch. Camillo & Agesilao.

Hoc die natus est in oppido imperiali Northausen, Dominus IVSTVS IONAS sacrae Theologiae Doctor, triente horae post quintam matutinam anno 1493.

IOHANNES FRIDERICVS à REITZENSTEIN natus est Anno 1538. mane inter 4 & 5. horam.

Anno 1568. à Duce Albano Hispano capite truncati sunt duo Comites ab EGMONT, & ab HORN, equites ordinis Aurei velleris.

Anno 1547. Dominica Trinitatis Illustrissima & pijss. D. Sibylla coniunx Electoris Sax. captiui Iohan. Friderici, maesta & aegrota cum filijs & mediocri comitatu in lugubri habitu vrbe VViteberga excedit.

VI. IVNII.

VIII. IDVS.

סיון *III.*

ΔΕΥΤΙΟΣ.

שבועות

HEBDOMADES seu PENTECOSTE, quam festiuitatem Iudæi quotannis celebrant sexto die mensis Siuan. Quia credunt manipulum semper esse oblatum, proximo die post mactatum agnum paschalem, hoc est: XV. die Nisan.

Hoc die existimant Legem ad montem Sinai datam esse, ideoq; mel & ficus eo die comedunt.

OLYMPIA.

Sexto die ἑκατομβαιῶνος natus est ALEXANDER MAGNVS, quo die pater Philippus POTIDÆAM ceperat, Illyricos duce Parmenione prælio vicerat, & in Olympico certamine equestri victor declaratus fuerat.

Eodem die & anno, TEMPLVM DIANÆ EPHESI INCENDIO CONFLAGRAVIT, vbi Sacerdotes in oppido tanquàm furibundi discurrentes clamârunt, eo die magnum Asiæ malum alicubi natum esse. Fuit autem is annus ante Christum natum 354.

IVLIANVS Imp. Rom. Constantij F. Constantini Magni gener, & ex fratre nepos, dictus Apostata, nouo genere persecutionis grassatus contra Christianos, in prælio contra Persas vulneratus, iactis in Christum contumeliosis vocibus expirat, anno ætatis 32. Anno Christi 366. sepultus in villa suburbana TARSI Patriæ Pauli Apostoli.

IOHANNES MOLITOR, dictus à patria REGIOMONTANVS, excellentiss. Mathematicus, nascitur in oppido Franciæ MONTEREGIO, anno 1436. horæ 4 min. 40 post meridiem.

NEAPOLIS ab Alfonso Rege Arragonum capta est, anno 1442.

HIERONYMVS SCHVRF Iureconsultus excellens moritur Francofurti ad Oderam, Anno Christi 1554. ætatis 73.

1547. Tres cohortes Imperatoris Caroli V. quæ à 23 Maij ad hunc vsq; diem VVitebergam tenuerant, ex vrbe eductæ sunt, subsequentibus Ducis Mauricij militibus.

ἙΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

ΠΑΤΝΙ.

VII. IVNII.

VII. IDVS.

LVDI PISCATORII *Romæ quotannis celebrabantur in Tyberi iuxta campum Martium. Ouid. 6. Fast.*

MAGDEBVRGVM ciuitas Imperialis, ab OTTONE primo priuilegijs & libertatibus donata est anno Christi 940.

IOHANNES LVTHERVS D. MARTINI Filius nascitur VViteberga Anno 1526. dimidia hora post 12. meridiei.

Anno 1560. mortuus est M. LEONHARDVS STOKEL Rector Scholæ in Bartphe Vngariæ, 49. die post obitum Domini PHILIPPI die ♀ post Pentecosten, sicut Philippus obijt die ♀ post Pascha.

Eodem die VII. anno 1547. Imperator Carolus V. incensis castris ex Pistricia pago transfert exercitum versus Salinas: Et ciues VVitebergenses duci Mauricio Electori Homagium iuramento confirmant.

ΠΡΟΚΤΩΝ vespertino occidit.
ΠΡΟΤΡΥΓΗΤΗΣ mane occidit.

VIII. IVNII.

סִינָן III.

VI. IDVS.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

MEDARDVS Episcopus Nouiamensis in Gallia, sub cuius obitum dicitur aqua calida pluisse, ideo hic dies habetur pro Critico, quo si pluat, existimatur reliqua pars huius mensis habitura crebros Imbres.

ΘΗΣΕΙΑ Athenis celebrata sunt octauo die ἑκατομβαιῶνος, quo die THESEVS interfectis in itinere aliquot latronibus primùm Athenas ingressus est salutatúrus patrem AEGEA, quem eousq; ignorauerat. Plutarch. in Theseo.

NICOLAVS LEONICENVS natus anno 1428. cùm publicè docuisset Ferrariæ annos sexaginta, hoc die ibidem mortuus est anno Christi 1524. ætatis anno nonagesimo sexto.

CASIMIRVS Rex Poloniæ moritur in Lituania, Anno 1492. Sepultus Cracouiæ, 12 Iulij, cui successit filius IOHANNES ALBERRTVS Dux Glochouiensis.

ἙΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

IX. IVNII.

ΠΑΥΝΙ.

V. IDVS.

VESTALIA celebrabantur Romæ, feriæ Vestæ, quo die Asini coronati, & onusti panibus circumducebantur per vrbem, & quiescebant molæ & furni pistorum, Ouidius 6. Fast.

Accidit eodem die CLADES PARTHICA, sicut Ouidius testatur, cum inquit Trist.

CRASSVS ad Euphraten aquilas, natumq; suosq;,
Perdidit, & leto est vltimus ipse datus.

Eodem die, & Anno ante Christum natum, 36. VENTIDIVS BASSVS Parthos magna strage fudit, interfecto filio ORODIS Regis Parthici, cuius dux SVRENA ante annos XVII. CRASSVM vnà cum præstanti filio occiderat, anno Christi 53.

Primum prælium HENRICVS IIII. commisit cum Saxonibus ad Vnstrum in Turingia, in quo singulari fide vsus est RODOLPHI Sueuorum Ducis, affinis sui, quem postea instinctu Pontificum hostem habuit acerrimum, Anno 1076.

Anno 1569 Illustrissimus Princeps VVolffgangus Palatinus Rheni, cum ingentem equitatum Germanorum duxisset in Galliam, & superato Ligeri, in Aquitaniam vsq; penetrasset, febri pestilentiali correptus, hoc die obijt.

1547. Imperator Carolus V. transmisso per Albim exercitu festum & circumgestationem panis consecrati in oppido Bitterfelt celebrat.

Caput GEMINI præcedentis mane oritur. ΠΡΟΠΟΤΣ cum sole occidit.

X. IVNII.

סיון III.

IIII. IDVS. ΔΕΥΤΙΟΣ.

SERVIVS TVLLIVS Rex Rom. interfectus est à Genero suo L. TARQVINIO Superbo, supra cuius cadauer abiectum in vico publico filia impia carpentum egit, anno vrbis 220.

P. RVTILIVS Consul Rom. C. IVLII CÆSARIS Collega, interfectus est à Marsis anno ab vrbe C. 664.

FRIDERICVS Barbarosa Imp. contra Saracenos mouens, in minore Armenia, Selephium amnem ingressus miserè periit, anno Christi 1190. Cuspinianus fluuium Serram ab incolis vocari scribit.

Anno Christi 1511. Dominus PHILIPPVS MELANTHON puer egressus XIIII. ætatis annum, Heidelbergæ promotus est in Bacularium, sub Rectore Domino Leonharto Diethero de Erbach, à Decano M. Laurentio Kleinclaus Kirchbergensi, habuitq; sextum locum inter 21. candidatos.

Georgius Curio Medicinæ Doctor nascitur in Curia oppido Voitlandiæ anno 1490. dimidia hora post merid.

M. Nicol. Steinberg. Rector Schulæ ad D. Mariam Magdalenæ in medijsthio Dno. nunciatus est. Anno 1574.

ἑκατομβαιών. XI. IVNII.

πατνί. III. IDVS.

MATRALIA

Roma celebrata. Ouidi. 6. Fast.

Anno 1555. obijt in oppido Sponda, pia Domina ELISABETHA IOHANNIS I. Regis Daniæ filia, Vidua IOACHIMI I. Electoris Brandeburgensis, cui peperit filios duos IOACHIMVM II. Electorem, Et IOHANNEM Marchiones Brandeburgenses, & tres filias, ANNAM nuptam Alberto III. Duci Megalburgensi, ELISABETHAM nuptam Erico seniori, Duci Brunsuicensi, & MARGARITAM nuptam, Georgio Duci Pomeraniæ & deinde Iohanni Principi Anhaltino.

XII. IVNII.

PRIDIE. IDVS.

סִין III.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

Athenis celebrata sunt KPÓNIA, *id est, Saturnalia. Demosth. contra Timocratem:* Τῇ ἑκατομβαιῶνος δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσηνέγκεν ἐνθὺς, καὶ τοῦτο ἔστιν KPONIΩN.

P. Licinius Crassus Procos. de Lusitanis triumphum egit anno vrbis 660.

ÉKATOMBAIÓN.

ΠΑΥΝΙ.

XIII. IVNII.

IDVS.

QVINQVATRIA
MINORA.

Festum Tibicinum & Poëtarum Romæ.

FRANCISCVS OTTO DVX LVNEBVRGENSIS, Ducis ERNESTI primogenitus, nascitur anno 1530. sesquihora post meridiem: Cellæ mortuus ibidem mense Aprili anno 1559.

Hoc die anno 1554. sol luridus & pallidus, radios ceu per flauum vitrum tinctos sparsit, quo die SVINFORDIA vrbs Imperialis ad MENVM, cum diutius quàm annum Marchionis ALBERTI præsidium inuita aluisset, & obsidionem durissimam sustinuisset, capta, direpta, & exusta est, cùm nocte præcedente Marchio præsidium suum eduxisset ex vrbe.

IOHANNES SPANGEBERGIVS Islebiæ moritur Anno 1550.

Hoc die MAHOMETES II. occupata Eubœa Insula, quam Veneti tunc tenebant, Metropolim illius CHALCIDEM solo æquauit, crudelissime interfectis omnibus vtriusq; sexus, qui annum ætatis vicesimum excesserant anno 1470.

ADRIANVS TVRNEBVS, natione Gallus, Regius Professor linguæ Græcæ in Academia Parisiensi, obijt Anno Christi 1565.

ΠΛΟΚΑΜΟΣ Coma Berenices matutino occidit.

XIIII. IVNII.

סִיוָן III.

XVIII. CAL. QVINTIL.

ΔΕΫ́ΤΙΟΣ.

FERDINANDVS ARCHIDVX AVSTRIÆ Regis FERDINANDI filius, nascitur anno 1529 intram horam secundam & tertiam pomeridianam.

Marchionis ALBERTI exercitus à fœderatis Episcopis & Brunsuicensi Duce cæsus est ad Syluam inter oppida Franciæ Suarzach & Kitthingam sita ad MENVM, Anno 1554.

Dominus GREGORGIVS MATHEVS Consul ciuitatis VVitebergensis moritur, & eodem die moritur, & postridie simul cum Consule sepelitur VVOLFGANGVS famulus D. Martini Lutheri Anno 1547.

ΠΡΌΠΟΥΣ mane oritur.

ÉKATOMBAIŌN.

ΠΑΤΝΊ.

XV. IVNII.

XVII. CAL. IVNII.

VITVS.

Anno CHRISTI 328 inchoatum est Concilium Nicenum, in quo 318 Episcopi, Arrij impium dogma damnarunt lib. 10. Tripart:

Ouidius:

Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ,
Tybri per Hetruscas in mare mittis aquas.
Nam hoc die stercus ex æde Vestæ deferebatur. Varro.

PHILIPPVS BVRGVNDIÆ Dux CAROLI pater, moritur anno ætatis 73. Anno Christi 1467.

VNGARI ad fluuium Leitam cæsi sunt à FRIDERICO Ducæ Austriæ anno Domini 1246.

MISNENSES eodem die prælio fusi sunt à Boiemis Hussitis ad oppidum Ausigam anno 1426. absente Friderico Electore Saxonico.

Anno 1502. NORIBERGENSES ciues incautius obuiam egressi CASIMIRO Marchioni Brandeburgensi filio FRIDERICI, in Syluæ cæsi sunt.

ERNESTVS Archidux Austriæ MAXIMILIANI Romanorum, Boiemiæ & Vngariæ R. F. tertius, FERDINANDI Imperatoris nepos nascitur Viennæ anno 1553. intra tertiam & quartam horam pomeridianam.

Anno 1530. Carolus V. celebraturus comitia Augustam Vindelicorum cum magna pompa primum ingressus est.

Anno 1550. nata est ex MARIA filia Ferdinandi Imp: LEONORA Primogenita filia VVILHELMI Ducis Iuliacensis Cliuensis & Bergensis.

XVI. IVNII.

סִיוָן III.

XVI. CAL. IVLII.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

ΜΕΤΟΙΚΙΑ *celebrabantur Athenis τῇ ἕκτῃ ἀπὶ Δέκα* Συνοικίων *in memoriam beneficij* THESEI, *qui ciues Atticos sparsos per agrum, coëgit in vnam vrbem, quam appellauit* ΑΘΗΝΑΣ. *Plutarch. Theseo. Thucydides vocat hoc festum* ΣΥΝΟΙΚΙΑ *lib. 2. pag. 40.*

ARCTVRVS mane occidit.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

ΠΑΥΝΙ.

XVII. IVNII.

XV. CAL. QVINT.

Nebulosa in oculo SAGITTARII vesperi oritur.

XVIII. IVNII. סִיוָן III.

XIIII. CAL. QVINT. ΔΕΥΤΙΟΣ.

RODOLPHVS Archidux Austriæ MAXIMILIANI Rom. Boiemorum & Vngarorum Regis secundus filius nascitur Viennæ anno 1552.

Henricus Valesius Polonorum Rex & regno Polonico aufugit in Galliam. Anno

ÉKATOMBAIŌN. ΠΑΥΝΙ.

XIX. IVNII.

XIIII. CAL. IVLII.

Anno 1555. fulmen de cœlo percutiens Turrim templi in oppido vicino Schweinitz nidos passerum incendit, & duos digitos manus indicantis horas in orbe horario denigrauit, & cum pepercisset coctis lateribus, disrupit saxa solidissima campestria.

M. Xystus Betuleius vir pijssimus ac doctissimus, Augustanæ scholæ Rector fidelis. obijt Augustæ 1554.

XX. IVNII.

סיון III.

XII. CAL. QVINT.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

Christianorum exercitus ducibus Godefrido & Balduino vicit PERSAS *memorabili strage ad* ANTIOCHIAM, *cæsis quinquaginta millibus hostium. Benedictus de Aculsio lib. 2. de bello contra Barbaros.*

Hoc die Rodolphus Secundus Romanorum Imperator Vrbe Vindobona Summo nomine discessit.

Nebulosa in capite SAGITTARII mane occidit.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

ΠΑΤΝΙ.

XXI. IVNII.

XI. CAL. IVLII.

EBERHARDVS Comes VVirtebergensis in conventu VVormaciensi à MAXIMILIANO *Imperatore Rom. solenni ritu Dux creatur & publicè renunciatur anno Christi 1495.*

PETRVS STROZA Florentinus bombarda ictus ante Dedonis aulam occiditur ad Mosellam oppidum Anno 1558.

Humerus sinister ORIONIS, caput GEMINI sequentis mane oritur.

XXII. IVNII.

סיון III.

X. CAL. QVINT.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

PHILIPPVS Imperator Germanicus FRIDERICI BARBAROSSÆ filius ab Othone Palatino à VVitelsbach in arce Bambergensi, cùm post incisionem venæ corpus quiete reficeret, cum magno luctu Germanorum occisus est, Anno 1208. Anno Imperij 9. sepultus primùm Bambergæ, sed tandem à FRIDERICO II. Imperatore translatus Spiram. Causam cædi patrandæ præbuerat Othoni indignatio ob denegatam filiam, quam prius promiserat Philippus, sed dare nolebat propterea, quod à Principibus aliquot publice erat notatus perfidiæ, propter fraudulenter occisum nobilem quendam.

Cn. Fuluius Centumalus Proconſ. ex Illyrijs nauale egit triumphum anno vrb. 525.

XXIII. IVNII.

ἙΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

IX. CAL. IVLII.

ΠΑΤΝΙ.

Hoc die mensis III. proposita sunt & emissa in prouincias edicta Regis ASSVERI contraria prioribus, quæ AMAN hostis Iudæorum de vniuersa gente Iudaica delenda impetrauerat: Quibus non modo confirmabatur Iudæis securitas, sed fiebat etiam potestas, omnes inimicos vim tentantes interficiendi, qui dies magna cum Iudæorum lætitia exceptus & transactus est. Esth. 8.

Romani ad Thrasimenum Lacum magna strage cæsi sunt ab Annibale Duce Carthaginensium, interfecto ibidem in acie Flaminio Consule, Anno vrbis 537.

Anno post Christum natum 964. OTTO I. Imperator hoc die obsessam aliquandiu vrbem ROMAM per deditionem patefactis portis ingressus cum exercitu, LEONEM VII. à se IOHANNI XIII. homini omni genere flagitiorum inquinato substitutum, in Pontificiam sedem iterum collocauit, abducto secum in Germaniam BENEDICTO V. qui per factionem pulso Leone Pontifex factus fuerat.

PHILIPPVS Hispaniarum Rex MAXIMILIANI Imp. filius, pater CAROLI V. Imperatoris, nascitur Anno 1478. hora secunda.

Eius Philippi nepos PHILIPPVS Rex Hispaniarum, CAROLI V. filius, eodem die absens nuptias celebrat per MAXIMILIANVM Ducem Albanum, cum Filia HENRICI II. Regis Galliarum, Parisijs, Anno 1559.

Hoc die ab Electorib. ADOLPHO Comiti Nassaënsi, qui astutia cognati sui Archiepiscopi Moguntini ad Imperium peruenerat, & male præfuerat, per annos 8. communi consensu Imperialis dignitas adimitur, & confertur ALBERTO Duci Austriæ, RODOLPHI Imperatoris Filio Moguntiæ Anno 1298.

Anno 1524 pridie Iohannis Baptistæ natus est in oppido Franciæ KISSING, Dominus D. Iohannes Stöſſelius ad Salam.

XXIIII. IVNII.

סיון III.

VIII. CAL. QVINT.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

IOHANNES BAPTISTA.

SOLSTITIVM ROMANIS, tempore IVLII.

VESPASIANVS IMPERATOR moritur anno ætatis 69. post Christum natum 81. cum 9. annis imperij sui Rempublicam, disciplinam, & iura penè subuersa immanibus flagitijs Caligulæ, Neronis, & reliquorum portentorum, magno studio & seueritate restituisset.

GVILELMVS PHILIPPI LANDGRAVII HASSIÆ PRIMOGENITVS, natus est minutis 36. post quintam matutinam anno 1532. eleuatione 51.

Eodem die natus est venerandus D. D. IOHANNES BVGENHAGEN POMERANVS, Pastor Ecclesiæ VVITEBERGENSIS anno Christi 1485.

Eodem die IOHANNES BRENTIVS pastor Ecclesiæ HALENSIS in Sueuia, natus est in oppido Sueuiæ Villa, anno 1499. minut. 10. post quartam pomeridianam.

M. IOHANNES MATHESIVS, qui diu Scholæ primùm, deinde Ecclesiæ Vallensi fideliter præfuit nascitur Rochlicij anno 1504.

MONASTERIVM vrbs VVESTPHALIÆ munitissima, occupata ab Anabaptistis, & contra difficillimam obsidionem diu defensa hoc die expugnata capitur, anno Christi 1535. qui numerus his Stigelij versibus continetur:

Certa sub aduerso stat nulla potentia Christo,
Quæ non constituit, non beat illa Deus.

Anno 1524. GVSTAVVS ab ERXEN à Senatoribus Lübecensibus in Regem SVECIÆ creatus & coronatus est.

Hoc die nata est illustris matrona Æmilia Isen, burgensis Budingæ, coniunx Philippi Comitis Nassauensis Anno 1522.

Anno 1552 hoc die Marchio Albertus Norimberga discessit, quam obsidere cœperat eiusdem anni die undecimo.

ÉKATOMBAIŌN.

XXV. IVNII.

ΠΑΤΝΙ.

VII. CAL. IVNII.

Hoc die commissum est prælium ad MERSBVRGVM, quo conflixit IMP. HENRICVS IIII. cum RODOLPHO DVCE SVEVORVM affine suo, quem incitauerant Episcopi aduersus Henricum, & Imperatorem elegerant autore Pontifice Romano. In quo prælio RODOLPHVS amissa dextra, perlatus in vrbem, mortuus est, anno 4. post, quàm fuerat à factione Pontificia electus Imperator anno Christi 1080.

Eodem die & anno, quo RODOLPHVS Dux Sueuorum contra HENRICVM IIII. pugnans ad Mersburgum dextram amiserat, Triginta Episcopi ex Italia & Germania congressi Brixiæ, communi decreto condemnatum HILDEBRANDVM Monachũ, Papam, dictũ GREGORGIVM VII. vt non legitimè electum, & Ecclesiam ac Imperium turbantem. Præterea vt Sacramentarium, ex Berengarij Schola egressum, & manifestum Necromanticum, à sede Pontificia remouendum censuerunt, & VVIGBERTVM Rauennensem Episcopum ipsi surrogarunt Anno 1080. Vrsper.

In TVRINGIA non procul ab EKERSBERG & VVIMARIA tritícum pluit alicubi ad altitudinem duorum digitorum Anno 1550.

GEORGIVS AEMILIVS Theologiæ Doctor natus est Mansfeldiæ, anno 1517. semidia hora post tertiam matutinam.

Hoc die moritur Episcopus Nicolaus Sasbergensis Frisius Occidentalis Doctor Medicinæ et Physicus excellens Marpurgi Cattorum, qui aliquãdiu ibi Academiæ præfuit. Ao 1579.

Nebulosa in capite ORIONIS mane oritur.

XXVI. IVNII.

סיון III.

VI CAL. QVINT.

ΔΕΥΤΙΟΣ.

IVLIANVS Apoſtata Imp. acerrimus hoſtis atq; illuſor Chriſtiani nominis, in Perſia occiſus, & hoc die in villa ſuburbana vrbis Ciliciæ TARSI ſepultus, Eccleſiam Chriſti vexatam & gementem maximo metu liberauit, anno poſt natum Chriſtum 366.

Anno 1555. hora 3. matutina, Sutoris cuiuſdam ciuis in oppido Turingiæ NEBRA vxor, quæ biduum totum parturierat, enixa tandem eſt filiolam, quam è veſtigio ſecuta eſt flamma ignis cum fragore, imitante bombardarum ſonum, erumpens ex vtero parientis, replens conclaue fumo grauiter fœtente, & ambuſſit ferme totum corpus infantis, & loca matris, infans autem mortua eodem die hora XI. ſepulta eſt, cui paucos dies mater ſuperſtes fuit.

IOHANNES BAPTISTA HENCELIVS patricius & Conſul ciuitatis Auguſtanæ natus eſt anno 1524. quadrante horæ ante 4. matutinam.

Anno 1526. natus eſt Freyſtadij Sileſiorum D. M. SAMVEL IAVCHIVS Paſtor Eccleſiæ Feibergenſis, hora 10 prandij.

Anno 1569. ante horam 4 Veſpert. Heidelbergæ piè ac placidè obijt Reuerendus & clariſsimus vir D. Victorinus Strigelius, eruditione multiplici, facundia & pietate excellens, qui viua voce & eruditis ſcriptis ſinceram Euangelij doctrinam fideliter ac conſtanter propagauit.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ.

ΠΑΥΝΙ.

XXVII. IVNII.

V. CAL. IVLII.

Hoc die menſis III. ita auctæ ſunt aquæ diluuij continuis imbribus 40. dierum, vt ARCA SVBLATA VNDIS INTER PROCELLAS FLVCTVARE CEPERIT, eoq; die demum horrendi imbres ruere deſierunt nihilominus tamen creſcentibus aquis, Gene. 7.

Anno 1550 quadrante horæ poſt quintam matutinam CAROLVS MAXIMILIANVS, Henrici II. Regis Galliarum tertius Filius natus eſt, qui poſtea Fratri mortuo Franciſco II. in regni gubernatione ſuccedens, vocatus eſt CAROLVS IX.

M. Antonius Winckler Lüdimoderator Vratiſlauienſis ad Dianam Elizabetham moritur Anno ætatis ſuæ 77. Anno Chriſti 1575.

XXVIII. IVNII.

סִיוָן III.

IIII. CAL. IVNII. ΔΕΥΤΙΟΣ.

ALEXANDER MAGNVS, cum sibi libidine & heluatione ardentissimam febrim accersiuisset, hoc die mensis Δεσίῳ ad vesperam mortuus est Babylone, anno etatis 32. anno regni 12. ante Christum natum 323. Plutarch.

Eodem die & Anno DIOGENES Philosophus cognomine CYNICVS à cane morsus, neglecta curatione vulneris obijt, Suid. & Laër. in vita Diogenis.

Anno Christi 210. Imperatore Septimio Seuero quintam persecutionem in Christianos exercente, IRENÆVS Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, POLYCARPI, qui IOHANNEM Apostolum audierat, discipulus, cum magna ciuium multitudine propter confessionem Christi occisus est.

SIGISMVNDVS Imperator FRIDERICI III. Imperatoris patruelis, dux Austriæ, nascitur anno 1367. minutis 36. post tertiam pomeridianam.

Hoc die CAROLVS V. HISPANIARVM REX &c. absens electus est IMPERATOR, Francofordiæ ad Mœnum, anno 1519.

ANTIOCHIA Syriæ post mensium vndecim obsidionem ab Europeis exercitibus, erepta est Saracenis, centum millibus hostium occisis, anno 1098.

LVDOVICVS XII. Rex Galliarum nascitur anno Christi 1462. triente horæ post primam ante diluculum.

ALBERTVS Marchio Brandeburgensis, IOACHIMI I. Electoris frater, Archiepiscopus Moguntinus Elector & Cardinalis nascitur anno 1490. hora 2. pomeridiana.

HENRICVS VIII. Rex Angliæ nascitur anno 1491. triente horæ ante vndecimam proximam meridiei.

IOHANNES PETRVS THEATINVS CARAFA NEAPOLITANVS, Pontifex Rom. successor MARCELLI II. cognomento PAVLVS IIII. nascitur anno 1477. dimidia hora ante tertiam matutinam.

Anno 1567. die ♄. Vigilia Petri & Pauli, Hafniæ in Dania decollatus est D. IVSTVS IONAS, Iurisconsultus agens annum etatis 42. Climactericum sextum.

ἙΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ. XXIX. IVNII.

ΠΑΥΝΙ. III. CAL. QVINT.

PETRVS ET PAVLVS.

IOHANNES Dux Saxoniæ ELECTOR, ERNESTI Electoris filius, pater IOHANNIS FRIDERICI Electoris nascitur anno 1469.

IVLIVS Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, Ducis HENRICI Iunioris filius, natus est anno Christi 1529.

Hoc die nuptiæ celebratæ sunt inter PHILIBERTVM Ducem SABAVDIÆ & Sororem HENRICI II. Regis Galliarum Filiam FRANCISCI I. Regis, Parisijs maximo cum apparatu Anno 1559.

Illustr. Comes Reinhart Isenburgensis, Dominus Büdingæ, nascitur Anno 1518.

Humerus dexter ORIONIS mane oritur.

XXX. IVNII. סיון III.

PRIDIE. CAL. IVLII. ΔΕΥΤΙΟΣ.

IOHANNES FRIDERICVS DVX SAXONIÆ ELECTOR, IOHANNIS ELECTORIS F. τροφεὺς Ecclesiæ & Academiæ huius natus est anno 1503. dimidia hora post 6. pomeridianam.

Q. Martius Tremulus de Anagninis & Hernicis triumphum egit anno vrb. 447.

T. Statilius Taurus procos. ex Africa anno vrbis 719.

Hoc die, qui erat secundus dies nuptiarum, quas cum FRANCISCI Regis Galliarum filia celebrabat Dux Sabaudiæ, HENRICVS II. Rex Galliarum Sponsæ frater in ludo Equestri, in quo laudem fortitudinis & industriæ eo die omnium testimonio consecutus fuerat, tandem fracto hastili vulnus in fronte periculosum accepit, ad quod cùm accessissent alia συμπτώματα, post 12. dies extinctus est, anno Christi 1559.

M. FRIDERICVS HAGIVS nascitur Kithingæ, dimidia hora post secundam pomeridianam Anno 1542.

IVLIVS.

OLIM VOCATVS QVINTILIS.

תמוז Thamus.

QVARTVS.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

SVIDAS: Πάνεμος· ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν ὁ Ἰάλυσος.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

A Syracusanis dictus ΚΑΡΝΕΙΟΣ, Plutarch. Nicia 1 pag. 185. A Bœotijs Πάνεμος, Plutarch. Camillo pag. 47. in Aristide idem scriptor Πάνεμον coniungit cum sequente mense Attico Boëdromione, vbi lege reliqua de mensib. non congruentibus pag. 113.

ΕΠΙΦΙ.

Iam MARIÆ sobolem Baptista salutat in aluo,
Adsicit Herodes nece IACOBVM Sebedeum.

I. IVLII.

תַּמּוּז IIII.

CALENDAE QVINTIL. ΠΑΝΕΜΟΣ.

1560. Rex Mauritaniæ in vrbe Fesa cum magna multitudine hominum abiecto Mahometismo, Christianæ fidei professionem amplexus & Baptisatus est.

Natus est LVDOVICVS REX HVNGARIÆ & Boiemiæ *patre natus* LADISLAO *primogenito filio* CASIMIRI, *dimidia hora ante meridiem Anni 1506. qui postea occubuit in prælio contra Turcas, coronatus bimulus Anno 1508.*

FRIDERICVS DANIÆ ET NORVEGIÆ REX, CHRISTIANI R. DANIÆ F. *nascitur anno 1534. hora dimidia post nonam antemeridianam, in Hadersleben.*

Romæ annuæ locationes domorum fiebant. Cic. ad Atticum & Memmium, Suetonius in Tiberio. Martialis:

O Iuliarum dedecus Calendarum.

C. Sulpitius Longus COS. *de Samnitibus triumphum egit anno vrb. 439.*

Duo Monachi, HENRICVS & IOHANNES *Bruxellæ combusti sunt ob piam & constantem confessionem sinceræ doctrinæ Euangelij Christi anno 1523.*

FRIDERICVS *Comes Palatinus Rheni commisso prælio non procul ab Heidelberga, tres Principes cepit,* CAROLVM *March. Badensem,* IOHANNEM *eius fratrem Episcopum Mediomatricum, & Huldericum Comitem VVirtebergensem, defensores* ADOLPHI *Nassauiensis, qui à Rom. Pontifice designatus erat Archiepiscopus Moguntiæ, contra* DIETHERVM *Comitem Isenbergensem, quibus in arcem deductis & exceptis conuiuio principibus digno prohibuit apponi panem, eumq; postulantibus iussit renunciari, voluisse se illos commonefacere, bella sic geri debere, vt petatur hostis, non innocens turba agricolarum fame necetur, quorum segetes ipsi contra iura belli crudeliter vastassent, & frumentum iam importatum succensis pagis corrupissent. Eosdem tamen postea grandi redemtos pecunia dimisit anno 1462.*

PAVLVS MANVTIVS ALDI *filius Antiquitatis diligentissimus inquisitor, & compertorum fidelissimus communicator, nascitur Venetijs Anno 1512.*

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. # II. IVLII.

ἘΠΙΦ. *VI. NONAS.*

VISITATIO MARIAE.

HENRICVS I. COGNOMINATVS AVCEPS, DVX SAXONIÆ IMPERATOR *nonus ex Germanis,* OTTHONIS I. *pater, vir laudatissimus, rebus egregijs bello & pace gestis moritur anno ætatis 60. Imperij 17. anno Christi 937. Sepultus Quedelnburgi in Basilica S. Petri.*

LVDOVICVS *Palatinus Rheni Philippi filius Elector nascitur anno 1478. hora 3. Minu. 44. P. M.*

CHRISTIERNVS *Rex* DANIÆ *ex familia Ducum Holsaciæ, nascitur anno 1481. quadrante horæ post octauam antemeridianam.*

THOMAS MORVS *eruditione præstans, Regni Angliæ Cancellarius, & ab* HENRICO VIII. *Rege Angliæ dilectus, & ad Baronis dignitatem subuectus, tandem ob quasdam aduersationes, eiusdem Regis iussu, securi percussus est Londini Anno 1535.*

MECHTILDIS LVDOVICI *Bauari filia* FRIDERICI *Marchionis Misnensis vxor obijt anno 1346. Sepulta in cœnobio veteri Cellensi.*

In Baltheo ORIONIS præcedens mane oritur.

III. IVLII.

תמוז IIII.

V. NONAS. ΠΑΝΕΜΟΣ.

M. IOHANNES HVMELIVS vir integerrimus, & cum Philosophiæ totius, tum in primis Mathematum peritissimus, ob eruditionem & virtutem carus Imperatori CAROLO V. Gener Domini IOACHIMI CAMERARII moritur Lipsiæ anno 1562.

ROBERTVS SANSEVERINAS bellator in Italia celeberrimus, ducens exercitum Venetorum contra SIGISMVNDVM Archiducem Austriæ, ad Rogoredum oppidum magna cum Venetorum strage ab Austriacis superatus, ægrè ipse euasit Anno 1487.

Anno 1567. Reuerendus Dominus PETRVS LOTICHIVS Abbas Cœnobij Solitariæ piè obijt.

IIII. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. IIII. NONAS.

ἘΠΙΦΙ.

M. Licinius Crassus Procos. ex Thracia & Getis triumphum egit anno vrb. 725. tertio anno post Actiacam victoriam Augusti.

VVILHELMVS Dux LVNEBVRGENSIS, Ducis ERNESTI Fnascitur Cellæ, horæ dimidio post tertiam pomeridianam Anno 1535.

LVDOVICVS PALATINVS Rheni FRIDERICI Simmerensis Electoris filius primogenitus nascitur anno 1539. ex filia Casimiri Marchionis Brandeburgensis.

Anno 1519. LVTHERI & ECCII disputatio Lipsiæ habita est.

Diuus HVLDERICVS Episcopus Augustanus, comes Dillingensis, obijt anno Christi 974. quo anno & OTTO I. Imp. mortuus est, vt supra annotatum est die 7. Maij.

IOHANNES EBERVS Filius nascitur, anno 1550. quadrante horæ post XI. meridiei.

Philippus Palatinus Rheni, qui anno 1529. Viennam Austriæ fortiter & feliciter, Deo adiutore, aduersus immanem vim Solimanni Imp. Turcici, defendit, hoc die Heidelbergæ obijt, anno 1548 ætatis suæ 44.

In Baltheo ORIONIS media oritur matutino.

V. IVLII.

חמשה IIII.

III. NONAS. ΠΑΝΕΜΟΣ.

LVDI APOLLINARES hoc die perpetuò celebrari ceperunt secundo bello Punico, cùm antea incerti fuissent. Liuius lib. 7. Decad. 3. Eorum origo apud eundem est Lib. 5. Decadis eiusdem.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Poloniæ nuptias celebrat cum KATHARINA filia FERDINANDI Imperatoris Rom. anno 1553. cuius sororem ELISABETHAM ante decennium ductam, morte subita post biennium, hoc est, anno Christi 1545. amiserat.

Sacerdos quidam Magus refossurus thesaurum absconditum in villa propinqua Noribergæ, Durrnhof, collabente terra eiecta oppressus, & fracta ceruice & intorto capite, ægre extractus est, anno 1530.

Paulus AEmilius historicus Gallicus, obijt 1529.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. VI. IVLII.

ΕΠΙΦΙ. PRIDIE NONAS.

CAPITOLIVM ROMÆ CONFLAGRAVIT pridie Nonas Quintiles anno vrbis 671. quo anno Sylla cum exercitu à bello Mithridatico in Italiam reuersus, crudeliter in ciues Romanos sæuijt. Plutarch. in Sylla. Cornel. Tacit. libro 19.

Milites Romani duce TITO Vespasiani filio oppugnatione assidua, quam primo mensis ΠΑΝΕΜΟΥ die inchoauerant, capiunt ANTONIAM munitissimam arcem iuxta templum Ierosolymitanum. Ioseph.

Hoc die quidam scribunt natum esse IOHANNEM HVSS. Est enim festus dies Bohemis.

FRANCISCVS BVRCHARDVS nascitur in oppido Turingiæ VVIMARIA anno Christi 1505. minutis tribus post octauam antemeridianam.

CVNRADVS II. Dux Franciæ Imperator, magnis rebus in Imperio, quod 15 annos tenuit, gestis, hoc die obijt, sepultus cum vxore GISELA Filia Regis Burgundiæ in summo templo Spiræ, quod ipse extruxerat Anno 1039. vbi leguntur hi versus inscripti saxis Epitaphijs:

Filius hîc, Pater hîc, auus hîc, proauus iacet istîc.
Hîc proaui coniunx, hîc Henrici Senioris.

EDVARDVS VI. Angliæ & Hiberniæ Rex, HENRICI VIII. Regis Anglici filius, incredibilis humanitatis, & ætatem superantis eruditionis & industriæ adolescens, moritur, veneno, vt creditur, extinctus, Anno Christi 1553. ætatis 16. regni 7.

M. CHRISTOPHORVS LASIVS natus est Argentinæ, Anno 1504.

In baltheo ORIONIS sequens oritur mane.

VII. IVLII.

NONAE. QVINTIL.

תמוז IIII.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

Dictæ CAPROTINÆ, & Fuga populi.

Festum ancillarum, quo die mulieres Romæ sacrificabant Iunoni, propter quoddam singulare ancillarum meritum in rempublicam Romanam, quod describitur à Macrobio lib. 1. cap. 11. Satur: à Plutarch. in Romulo & Camillo.

ROMVLVS conditor vrbis Romæ hoc die rebus humanis exemtus est, discerptus, vt creditur, à suis Senatoribus, cum ad Capræ paludem exercitum recensens non amplius comparuit.

CHÆRONENSIS CLADES.

Hoc die mensis μεταγειτνιῶνος maximam cladem acceperunt ATHENIENSES ad CHÆRONEAM, victi à PHILIPPO MACEDONVM REGE, quem impulsu DEMOSTHENIS in Græciam vltrò attraxerant. Plutarch. Camillo.

Eodem die aliquantò post mortem Alexandri Magni ATHENIENSES difficili prælio victi ad CRANONEM Thessaliæ vrbem ab ANTIPATRO MACEDONE, omnem suam potentiam amiserunt. Plutarch. ibidem.

IOHANNES VAIVODA Transyluaniæ IOHANNIS dicti VAIVODÆ filius ex ISABELLA SIGISMVNDI Regis Polonici filia, SIGISMVNDI AVGVSTI sorore, nascitur Budæ anno 1540. dimidia hora post quartam pomeridianam.

Sinister pes Orionis, fluuio communis, oritur mane.

VIII. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. ἘΠΙΦΙ.

VIII. IDVS.

CHILIANVS.

IOHANNES HVSS BOHEMVS in Concilio CONSTANTIENSI publicè pronunciatus hæreticus & singulari ritu spoliatus iure Sacerdotali per Archiepiscopos, damnatur ad supplicium ignis, & traditus seculari potestati, dum educitur ad locum supplicij, gestans in capite mitram chartaceam Episcopali similem, in qua depicti erant duo dæmones, cum inscriptione: HÆRESIARCHA, subinde inter eundum has voces ingeminauit: IESV CHRISTE FILI DEI VIVI, QVI PASSVS ES PRO NOBIS, MISERERE MEI. Tandem impositus rogo, eandem precationem aliquoties alta voce repetens, fortiter supplicium pertulit. Anno 1415.

ERNESTVS & ALBERTVS duces Saxoniæ FRIDERICI secundi Electoris F F. pueri, hic duodecim, ille 14. annorum, trium nobilium conspiratione ex Arce Aldenburgensi nocte media rapiuntur, anno Christi 1455.

CAROLVS Rex Hisp. PHILIPPI Regis F. CAROLI V. Imp. nepos, nascitur in Hispania, in Valle Oletaria, Anno 1545. dimidiata hora ante duodecimam meridiei.

IX. IVLII.

תַּמּוּז IIII.

VII. IDVS. ΠΑΝΕΜΟΣ.

Nono die mensis IIII. VRBS IEROSOLYMORVM POST OBSIDIONEM XVIII. MENSIVM A REGE BABYLONIORVM CAPTA EST, quam prius intus quoq; pestis & fames vastauerat. Rex autem SEDECHIAS fugiens in deserto Iericho captus & ad Regem Babylonicum pertractus est, vbi vidit primùm coram se filios & potentissimos quosq; Duces suos trucidari, postea effossis oculis vinctus Babylonem abductus est, et in carcere mortuus. Ierem. 39. & vltimo. 4. Reg. vltimo. Ioseph. lib. 10. cap. 11.

Eodem die IEREMIAS PROPHETA huc vsq; in carcere mandato regis Sedechiæ detentus, ab hostibus Assyrijs extrahitur, & cæteris principibus populi miserè partim interfectis partim abductis in triste exilium, ipse cum suo protectore ABDEMELECH ÆTHIOPE, liber & incolumis dimittitur à Nabuzardan duce exercitus Assyrij: quo exemplo Deus testatus est, se in medijs ruinis impiorum tueri solere & posse auscultantes ipsius verbo Ier. 39.

Anno 1553. die solis post Chiliani, pugna commissa est in Saxonia, non procul ab arce Pein, inter Borchdorff & Hohenhammeln, in qua profligatæ quidem sunt copiæ ALBERTI Marchionis Brandeburg. hostilia minati his regionibus, sed magno illa victoria stetit. Nam Dux Saxoniæ MAVRICIVS Elector, globo bombardæ ab incerto authore letaliter vulneratus, tertio die post obijt, Dux HENRICVS Brunsuicensis duos FF. CAROLVM VICTOREM & PHILIPPVM MAGNVM ibidem mox occisos amisit, FRIDERICVS Dux Luneburgensis, ERNESTI F. accepto vulnere ægrè Cellam reportatus, post paucos dies vita functus est.

Anno 1551. quo die ante & post meridiem recitata est repetitio Confessionis harum Ecclesiarum mittenda ad Concilium Tridentinum, in cœtu 24 Doctorum & Superintendentium, vesperi circa horam V. conspecta sunt παρήλια VViteberge, inter quæ Septentrionale erat ita clarum, vt existimaretur verus Sol, qui tunc erat obscuratus rara nube. Sed versus Meridiem erant atræ nubes.

Anno 1566. Domina Elisabetha Palatinica, Coniunx IOHANNIS FRIDERICI II. Ducis Saxoniæ fœliciter enixa est filium IOHANNEM ERNESTVM.

X. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

VI. IDVS. ἘΠΙΦΙ.

L. AEmilius Barbula Procos. de Tarentinis, Samnitibus, Salentinis, triumphum egit anno vrb. 473.

ADRIANVS Imp. Rom. obijt Baijs, sepultus in PVTEOLANO CICERONIS anno post Christum natum 139.

FRIDERICVS I. BARBAROSSA Imp. Rom. HEROLDO ab Hohenm Episcopo VVIRCEBVRGENSI & successoribus DVCATVM FRANCIÆ orientalis & iurisdictionem superiorem, donatam prius Ecclesiæ VVirceburgensi, vt ferunt, à CAROLO MAGNO, & impeditam aliquandiu à vicinis principibus, nouo priuilegio et sigillo aureo restituit & confirmauit, publicauitq; hoc die per vniuersam Franciam anno 1168.

IOHANNES CALVINVS Verbi Diuini Minister in Ecclesia Geneuensi, natus est in ea Belgicæ Galliæ ora, quæ hodie Picardia vocatur, in oppido Parisijs propinquo Noyon, à Romanis dicto olim Nouiodunum Anno 1509.

XI. IVLII.

תמוז IIII.

V. IDVS. ΠΑΝΕΜΟΣ.

ISOCRATES ORATOR ATHENIENSIS audita clade Cheronenſi, quatridui inedia moritur, natus annos 99. non volens quarto videre Athenas occupari. Plutarch. in vitis Rhetorum.

ERASMVS ROTERODAMVS ætate confectus, cum menſem fermè integrum dyſenteria laboraſſet, hoc die defunctus eſt vita Baſileæ apud Hieronymum Frobenium, anno Chriſti 1536. anno ætatis, vt putatur, ſeptuageſimo.

Anno 1553. MAVRICIVS Dux Saxoniæ Elector, ex Vulnere, quod ante biduum in prælio dimicans pro patria contra ALBERTVM Marchionem acceperat, poſt piam confeſſionem in caſtris mortuus eſt circa 8. horam antemeridianam anno ætatis 33. gubernationis ſuæ 12. Electoratus ſexto.

Anno 1559. HENRICVS II. Galliarum Rex FRANCISCI Regis filius, accedente ardente febri ad vulnus capitis, quod in nuptijs ſororis, vltima Iunij acceperat, hoc die mortuus eſt, anno ætatis 42. climacterico ſexto, anno Regni 12. completo, quod transijt ad filium Delphinum FRANCISCVM II. Adoleſcentem 15. annorum maritum Reginæ Scotiæ.

Anno 1535. Berlini obijt Ioachimus I. Marchio Brandeburg. Iohannis Electoris F. fundator Academiæ Francofordianæ anno ætatis 51.

Anno 1511. in vrbe Brabantiæ florentiſſima Antuerpia naſcitur Iacobus Bordingus, Medicinæ Doctor apud Regem Daniæ, obijt Haſniæ anno ætatis 49. completo.

XII. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. IIII. IDVS.

ἘΠΙΦΙ.

Hoc die natus eſt C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR, à quo hic menſis prius Quintilis dictus, poſtea lege Antonia IVLIVS appellatus eſt, C. Mario VI. L. Valerio Flacco COSS: quo anno clypeus ardens ab ortu ad occaſum ſcintillans tranſcurrit poſt occaſum Solis. Plinius lib. 2. cap. 34. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 12.

HENRICVS II. Imperator dictus Claudus, Dux Bauariæ Nepos HENRICI Rixoſi, fratris OTTONIS I. Imperatoris, hoc die obijt, ſepultus Bombergæ, vbi vnà cum coniuge KVNIGVNDA caſta Epiſcopatum conſtituit, & Baſilicam extruxit, vnde HENRICVS Bombergenſis vulgo dictus fuit, Anno 1025.

GENSERICHVS Vandalorum Rex ab EVDOXIA coniuge VALENTINIANI, contra MAXIMVM Tyrannum, qui eam, vt occidentis Imperium ad ſe traheret, per violentas nuptias ſibi copulârat, ex Africa accerſitus Romam cum exercitu ingreſſus eſt, captumq; Maximum 77 die arrepti Imperij fruſtulatim concidi, & in Tyberim abijci mandauit, Romaq; fœde direpta EVDOXIAM cum duabus filiabus & magno numero aliorum Captiuorum ſecum abducens, in Africam traiecit, Anno 457.

De ASELLIS Borealis mane oritur.

XIII. IVLII.

תמוז IIII.

III. NONAS.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

MARGARITA.

IOHANNES KETZMANNVS Ludimagiſter fideliſſimus & fœlix Noribergæ ad D. Laurentium, Præceptor meus, de me & alijs multis optimè meritus, naſcitur anno Chriſti 1487.

VLRICVS MORDEISEN Iuris vtriuſq; Doctor, duorum fratrum Ducum Saxoniæ MAVRICII & AVGVSTI ELECTORVM CANCELLARIVS & conſiliarius naſcitur Lipſiæ anno 1519. quinq; minutis poſt tertiam matutinam.

GEORGIVS DVX MEGALBVRGENSIS Francofortum vrbem Imperialem ad ripam Meni obſidens, globo tormentario ictus obijt anno 1552.

Henricus ſanctus Imp. religione, caſtitate, clementia, rebus bello fortiter geſtis, & munificentia erga Eccleſias & ſcholas inſignis, obijt Bombergæ anno 1024.

Lucida CORONAE matutino occidit.

Nebuloſa prope ſpiculum caudæ SCORPII veſpertino oritur.

XIIII. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

PRIDIE IDVS.

ΕΠΙΦΙ.

OTTO II. IMPERATOR in Calabria à Saracenis victus ingentem exercitum amiſit, ipſeq; in fuga delatus ad mare, à Piratis captus eſt, ſed paulo poſt magna pecuniæ ſumma redemtus. Anno 982.

ANGELVS POLITIANVS naſcitur hora prima minutis 28. poſt meridiem in monte Politiano Hetruriæ oppido anno 1454.

ADOLPHVS Imp. iudicio Electorum imperio priuatus, cum tamen armata manu id retinere vellet, commiſſo prælio cum ALBERTO Imp. ab equo deiectus, & in ſanguine ſuo volutatus, manu ipſius Alberti interfectus eſt. Locus prælij fuit Haſenpyhel intra Nemetes & Vangiones, Anno 1298. qua æſtate etiam Cometa viſus eſt, ſepultus Spiræ, de quo hi verſus ſunt facti:

Anno Milleno trecentis bis minus Annis,
In Iulio menſe Rex Adolphus cadit enſe.

ΦΑΤΝΗ Præſepe mane oritur.

XV. IVLII.

תמוז IIII.

IDVS QVINTILES.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

DIVISIO APOSTOLORVM.

Romani Tarquinio regi exuli, postrema pugna ad lacum Regillum victo, omnem spem vlterioris conatus præciderunt, duce A. Posthumio Dictatore, anno vrbis 255. Liui. lib. 2. ab vrbe. Plutarch. Coriolano.

Hoc die Equites Romani ab AEde Honoris equis insidentes in Capitolium transibant, quem morem Q. Fabius Rutilianus instituit.

IEROSOLYMA recuperata est à Christianorum exercitu anno Christi 1099. 39 obsidionis die.

IOHANNES TAVLERVS Eremitanus obit Argentinæ Anno 1379.

RODOLPHVS Imp. prius Comes Habsburgensis, Landgrauius Alsaciæ, moritur in oppido Germersheim anno 1291. Anno imperij 18. Sepultus Spiræ. Ab hoc Rodolpho Archiduces Austriaci originem ducunt, penes quos Imperij Romani dignitas fuit ad hunc annum Christi 1559. ducentos nonaginta vnum annos, quo tempore hæc vna domus octo Imperatores produxit: RODOLPHVM, eius filium ALBERTVM I. eius filium FRIDERICVM pulchrum oppositum Ludouico Bauaro, ALBERTVM II. FRIDERICVM III. eius filium MAXIMILIANVM, huius nepotem CAROLVM V. & FERDINANDVM fratrem.

PHILIPPVS Dux Pomeraniæ nascitur anno 1515. quadrante horæ ante secundam noctis ante diluculum.

IACOBVS RVNGIVS Pomeranus S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Grisphuualdensi nascitur Stargardiæ Anno 1527.

ADOLPHVS Comes Nassaënsis VVilhelmi senioris quartus filius, nascitur Dillenbergæ anno 1540. quadrante horæ ante tertiam matutinam, occubuit in præliocontra Hispanos ad Groningam Anno 1568. die 23. Maij.

Dextrum genu Orionis mane oritur.
De Asellis Australinus vespere occidit.

XVI. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

ἘΠΙΦΙ.

XVI. CAL. SEXTIL.

DIES ALLIENSIS, sic dictus à clade, quam Romani acceperunt ad ALLIAM fluuium, cæsi à GALLIS SENONIBVS anno ante Christum natum 376.

Eodem die aliqui TRECENTOS FABIOS quoq; existimant cæsos esse ante annos 88. Gellius lib. 17. Macrob. cap. 16. lib. 1. Satur. Plutarch. in Camillo. pag. 47. pag. 203. Idem in moralibus. Etsi Ouidius hanc cladem collocat ad 13. diem Februarij.

Cornelius Tacit. lib. 18: Funesti ominis loco acceptum est, quòd maximum Pontificatum adeptus VITELLIVS, de ceremonijs publicis XVII. (legitur illic XV) Calendas Augusti edixisset, antiquitus infausto die, Cremereusi Allienſiq; cladibus.

Anno 1086. horam circiter octauam matutinam post solennia missarum celebrata, Regnum Boëmiæ erectum, & primus Rex confirmatus est in Castro Pragensi.

De ASELLIS australinus mane oritur.

XVII. IVLII. תַּמּוּז IIII.

XVI. CAL. AVGV. ΠΑΝΕΜΟΣ.

שִׁבְעָה־עָשָׂר בְּתָמּוּז׃

Creditur à Iudæis inauſpicatus dies propter tres calamitates inſignes, quas hoc die euenisſe exiſtimant.

I. *Quod* MOSES *iratus propter erectum aureum vitulum hoc die* TABVLAS FREGERIT. *Exod. 32. 33.*

II. *Quod hoc die reuerſi* XII. EXPLORATORES *& in concionem introducti,* POPVLVM CONSTERNATVM REDDIDERINT, *commemorata potentia Chananæorum, & munitione vrbium.*

III. *Quod* NABVCHODONOSOR *ceperit obſidere vrbem* IEROSOLYMAM.

Seruant igitur Iudæi hoc die ieiunium,& totas ſequentes tres ſeptimanas, quæ in Caniculares dies cadunt,ſibi periculoſas eſſe et aduerſas credunt. Ideoq; abſtinent à carnibus & vino, & non inchoant aliquod arduum negotium his 21. diebus, numeratis ab hoc die vſq; ad IX. diem menſis Ab,& hoc totum interuallum vocant ex Threnis Ieremiæ capite 1. בֵּין הַמְּצָרִים *hoc eſt: inter afflictores, vel,vt ipſi interpretantur,intra terminos.*

Cn. Domitius Caluinus Proconſ. ex Hiſpania egit triumphum anno vrb. 717.

PRAESEPE cum Sole occidit.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. ΕΠΙΦΙ.

XVIII. IVLII.

XV. CAL. SEXTIL.

Cenſorinus cap. 17.

XV. Calend. Auguſti CANICVLA IN ÆGYPTO SOLET EXORTVM FACERE, *Conuenit cum Plinio, qui dicit,* CANEM *viginti quatuor diebus oriri poſt Solſtitium, lib. 18. cap. 47. Ab hoc exortu Canis matutino ſeu Heliaco, qui hoc die fieri obſeruabatur, AEgyptij ſuum annum magnum inchoabant,quem κυνικὸν & ἡλιακὸν vocabant, quoties primus dies menſis Θ Ω Θ cum hoc Canis exortu congruebat. Continebat autem ille annus κυνικὸς annos communes AEgyptios 1461. Iulianos verò annos 1460. Plinius lib. 2. cap. 47.*

Huc ex ſententia Liuij & Cornelij Taciti pertinet Clades Fabiorum & Alienſis,lib. 6. ab vrbe,vbi ſic inquit: Tum de diebus Religioſis agitari ceptum,diemq; ad XV. Calend. Sextiles duplici clade inſignem, quo die ad CREMERAM *Fabij cæſi,quo deinde ad* ALLIAM *cum exitio vrbis fœde pugnatum.*

Anno milleſimo poſt Chriſtum natum obijt GODEFRIDVS *Dux Lotharingiæ, Cuius fœlici ductu vrbs* IEROSOLYMA *Saracenorum Imperio erepta, in Chriſtianorum poteſtatem redierat.*

HENRICVS ab EINSIDEL præfectus Coldicij &c. natus eſt Anno 1519. dimidia hora poſt quartam matutinam.

Anno 1418. Seditio fuit in vrbe Vratiſlauia. Conſules Ciuitatis è Prætorij feneſtris deiecti.

XIX. IVLII.

תַּמּוּז IIII.

XIIII. CAL. AVGV.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

INCENDIVM ROMÆ ORTVM EST IMPERANTE NERONE, quo magna pars Vrbis conflagrauit. Fuerunt qui annotarent, 14. Cal. Sextiles principium huius incendij ortum, quo & Senones captam vrbem inflammauerant. Cornelius Tacitus.

IVDÆI triginta octo cremati sunt in Marchia, eo quod consecratum panem contumelioſius tractauerant Anno 1510.

ΠΡΟΚΥΩΝ Antecanis oritur mane.
Caput GEMINI ſequentis cum Sole occidit.
Vltima AQVAE in ore piſcis marini mane occidit.

XX. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

ἘΠΙΦΙ.

XIII. CAL. SEXTIL.

Roma à Senonibus Gallis capta eſt tertio die poſt cladem Allienſem. Anno ante natum Chriſtum 386.

FRANCISCVS PETRARCHA hoc die natus eſt Aretij, vt Volaterranus ſcribit, Anciſæ, vico agri Florentini, Mortuus Ateſte prope Patauium.

XXI. IVLII.

XII. CAL. AVGV.

תמוז IIII.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

ἘΠΙΦΙ.

XXII. IVLII.

XI. CAL. SEXTIL.

MARIA MAGDALENE.

MARIA filia PHILIPPI Regis Hiſpaniarum, neptis MAXIMILIANI Imperatoris, ſoror CAROLI V. Imperatoris Anno Chriſti 1515. Viennæ Auſtriæ per Cardinalem Strigonienſem in templo deſponſatur LVDOVICO filio VLADISLAI Regis Vngariæ: & viciſim ANNA filia VLADISLAI, ſoror LVDOVICI Regis Vngariæ, abſenti FERDINANDO Archiduci Auſtriæ Infanti Hiſpaniæ fratri MARIÆ deſponſatur, locum eius tenente in ceremonia deſponſationis Auo MAXIMILIANO Imperatore.

Vngari & Germani cruenta victoria proſligarunt Turcicum exercitum ad Segedinum Anno 1556. in qua pugna ceciderunt ex noſtris 1200 & inter hos capitaneus Regi Ferdinando carus POLVVEIL, de Turcis verò 1800. occiſi ſunt.

IOHANNES STRAVB Medicus & Senator VVitebergenſis, natus in oppido Briſgauiæ Stauffen diſtante 4 miliaribus à Baſilea verſus Argentinam, obijt fluxu Epatico Anno Chriſti 1560. cum vixiſſet vltra 72. annum ætatis.

XXIII. IVLII.

X. CAL. AVGV.

חֲמִשִׁי IIII.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

FRIDERICVS I. DVX SVEVORVM COGNOMINATVS BARBAROSSA IMPERATOR, diu multumq; vexatus Pontificis Romani iniurijs, tandem vt redimeret filium, qui à Venetis captus fuerat, pacem cum Pontifice fecit Venetijs, Vbi cum se Imperator supplex ad pedes Pontificis ALEXANDRI III. abiecisset, Pontifex Imperatorem pedibus calcauit, curans acclamari hunc Psalmi versum: SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS: Vbi cùm Imperator respondisset: NON TIBI SED PETRO, Subiecit Papa impius: ET MIHI ET PETRO. Anno Christi 1178.

HENRICVS V. dictus Iunior, HENRICI IIII. Imperatoris filius, à Pontificibus incitatus, acerrimè persecutus patrem, & postea eandem Pontificum in sese expertus crudelitatem & perfidiam, hoc die moritur anno Christi 1125. sepultus Spirae. Vrsperg. pag. 286.

Anno 1532. nascitur generosus Dominus CHRISTOPHORVS ab Vngnad Baro in Sonneck &c. Domini IOHANNIS ab Vngnad filius, 40. minutis post primam horam pomeridianam, in elevatione poli 46.

XXIIII. IVLII.

IX. CAL. SEXTIL.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

ἐπὶφί.

XXV. IVLII.

תמוז IIII.

VIII. CAL. AVGV. ΠΑΝΕΜΟΣ.

IACOBVS.

FRANCISCVS PHILELPHVS natus est hoc die Tolentini mane circa Solis ortum anno 1398. Mortuus est Mantuæ anno ætatis nonagesimo.

HENRICVS II. Galliarum Rex FRANCISCI Regis filius inauguratur & coronatur anno 1547.

Anno 1564. FERDINANDVS Imp. Rom. CAROLI V. Frater, hoc die circa vespertinam placidè in Domino obdormiuit, cum ipsius mandato, & pontificis Pij quarti permissione, triduo ante, hoc est, 23 Iulij, PRAGÆ per Archiepiscopum Pragensem, & 38 die ante, hoc est, 18 Iunij, VIENNÆ in templo S. Stephani, per Episcopum Gurcensem concessus & publice proclamatus esset liber vsus integræ cœnæ Dominicæ, iuxta Christi institutionem.

XXVI. IVLII.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. ἘΠΙΦΙ.

VII. CAL. SEXTIL.

ANNA.

CLAVDIA coniunx FRANCISCI Regis Galliarum, filia LVDOVICI XII. ex matre ANNA Britannica, FRANCISCI Ducis Britanniæ vnica hærede, moritur Anno Christi 1524.

XXVII. IVLII.

תמוז IIII.

VI. CAL. AVGV.

ΠΑΝΕΜΟΣ.

INGENTEM CLADEM ACCEPERVNT ATHENIENSES IN SICILIA VICTO NICIA A SYRACVSANIS. Estq; hic casus exemplum punitæ ωολυπεραγμοσυνης. Plutarch. in Niciæ: Ἐρυκλῆς δημαγωγὸς ἔρραψεν, πρῶτον μὲν τῇ ἡμέραν, ἐν ᾗ τὸν Νικίαν ἐλαβον, ἱερὰν ἔχειν, γίνοντας καὶ σχολάζοντας ἔργων, ΑΣΙΝΑΡΙΑΝ τῇ ἑορτῇ ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ καλοῦντας ἡμέραν ἣν τετραὶ φθίνοντος ΚΑΡΝΕΙΟΥ μῆνος, ὃν ἀθηναῖοι μεταλλτιῶνα ωροσαγορεύουσι.

ALBERTVS Dux Saxoniæ FRIDERICI II. Electoris filius, pater GEORGII & HENRICI Ducum Saxoniæ nascitur Grymmæ, Anno 1443. Alij natalem referunt ad 1. diem Augusti.

VVOLFGANGVS PRINCEPS IN ANHALT & Ascania, VVOLCMARI filius, nascitur anno 1492. paulo antè septimam matutinam. Alij & huius natalem ad Calendas Augusti referunt.

Anno 1558. PAVLVS EBERVS à Gubernatoribus Academiæ & ciuitatis VVitebergensis, consentientibus suffragijs electus & vocatus est ad curationem Pastoralis muneris in locum defuncti Doctoris IOHANNIS BVGENHAGII, POMERANI.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ.

XXVIII. IVLII.

V. CAL. SEXTIL.

ἘΠΙΦΙ.

PANTALEON Nicomedensis, à Maximiano Imperatore, horrendis supplicijs excruciatus tandem decollatus est Anno Christi 300. circiter.

GVILIELMVS DVX IVLIACENSIS nascitur Anno 1516. hora 4. post meridiem in latitudine loci 52.

IOHANNES DALBVRGIVS Episcopus VVormacienſis, vir excellens eruditione in Philosophia & in Iure, & eloquens, apud quem vixit RODOLPHVS AGRICOLA, cui & antea in Italia Ferrariæ familiaris fuerat, vbi THEODORVM GAZAM vterq; audiuit: mortuus est Heidelbergæ anno à nato Christo 1503. ætatis suæ quinquagesimo, florens ætate & dignitate. Nam ad cætera ornamenta iam hoc accesserat, vt Palatino Cancellarius esset.

M. HERMANNVS LVLICHIVS VVestphalus obijt Luneburgi anno 1540. ætatis 54.

XXIX. IVLII. תמוז IIII.

IIII. CAL. AVGV. ΠΑΝΕΜΟΣ.

MARTHA.

M. Tullius Cicero Imperator ex Cilicia prouincia deceßit L. Paulo & C. Marcello COSS. anno vrb. 704. Cice. Att. lib. 5. Epiſt. 21.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ. # XXX. IVLII.

ἘΠΙΦΙ. III CAL. SEXTIL.

C. Iunius Bubulcus Brutus COS. de AEquis triumphum egit anno vrb. 451.

Tertio Calendas Auguſti tertio prælio cæſi ſunt CIMBRI à MARIO V. Conſule & Q. CATVLO Proconſule ad Vercellas anno vrbis 653. Plutarch.

ROBERTVS BARNS ANGLVS, S. Theologiæ Doctor, qui in Germania exul ſe nominauerat ANTONIVM, vir ſanctus et eruditiſsimus, LONDINI propter Euangelium Chriſti in optima confeßione combuſtus eſt. Anno 1540.

Caput GEMINI præcedentis cum Sole occidit.

XXXI. IVLII. תַּמּוּז IIII.

PRIDIE CAL. AVGV. ΠΑΝΕΜΟΣ.

AVGVSTVS Dux Saxoniæ Ducis HENRICI filius Elector, natus est anno 1526. mane 38. minutis post quintam horam.

KΥΩNSIRIVS CANICVLA mane cum Sole oritur.

AVGVSTVS.

OLIM DICTVS SEXTILIS.

אב A B.

QVINTVS.

ΛΩΟΣ.

SVIDAS: Λῷος· ὄνομα μηνὸς παρὰ μακεδόσιν, ὁ Αὔγυστος.

BOHΔPOMIΩN.

Demosth. περὶ στεφάνου ex Epistola Philippi regis Macedonum: ἐν ἐνεστῶτος μηνὸς Λῴου ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δ' Ἀθηναῖοι Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, πανέμου. Hoc mense celebrata esse MHΣTHPIA magna, testatur Plutarchus in Demetrio, inquiens: Ἀλλὰ τὰ μικρὰ μυστήρια καὶ Ἀνθεστηριῶνος ἐπιτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα καὶ Βοηδρομιῶνος. ὀπτώβριον δὲ τὰ λάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν ἀφαλείποντες. Et Demosth. 3. Olynthia: de Boëdromione loquens: τότε δὲ μηνὸς μόγις μὲν μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε.

ΜΕΣΟΡΗ.

Vincula post PETRI patitur LAVRENTIVS ignes,
Impie Mœche dabas meretrici colla IOHANNIS.

I. AVGVSTI.

אָב V.

CALEND. SEXTIL.

ΛΩΟΣ.

VINCVLA PETRI.

AARON primo die V. mensis iussus cum filio ELEAZARO & fratre MOSE ascendere in montem HOR, & vestes sacerdotales sibi detractas indaere filio, MORTVVS EST, agens annum ætatis 23. supra centesimum, anno 40. post exitum ex AEgypto, 4. Mensibus post obitum sororis Miriam. Num. 20 & 33.

ESDRAS legis diuinæ callentißimus, impetrata potestate redeundi in patriam, acceptis item literis ad Iudææ Satrapas, & muneribus amplißimis à Rege Artaxerxe Longimano, filio Xerxis, cum magna multitudine Iudæorum hoc die Ierosolymam ingressus est, anno ante Christum natum 457. quibus si addes ætatem Christi in carne, 33. annos, habebis annos 490. quot efficiunt 70. Hebdomades à Daniele prædictæ, quas ideo aliqui ab hoc Esdræ aduentu numerandas censuerunt.

Anno 8. ante natum Christum TIBERIVS CLAVDIVS Cæsar, Drusi Neronis F. Imp. Romanus natus est Lugduni. Suetonius.

FRIDERICVS VICTORIOSVS Palatinus Rheni natus est anno 1425. hora 8. p. m.

LAVRENTIVS VALLA Romanus ex nobili familia canonicus Lateranensis optime meritus de lingua Latina, obijt 1465. sepultus in Laterano.

CVNRADVS HERESBACHIVS I. V. Doct. & Ducis VVILELMI IVLIACENSIS &c. Consiliarius, natus est in Ducatu Montensi in prædio paterno HERESBACH, Anno 1496. mane circa 2. horam noctis.

MAXIMILIANVS ARCHIDVX AVSTRIÆ, Rex Boiemiæ, Rom. & Vngariæ, Imperatoris Ferdinandi primogenitus natus est Viennæ hora 11. minuto 16. post meridiem, anno 1527.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS REX POLONIÆ nascitur anno 1520. minutis 38. ante tertiam horam matutinam.

VITVS ORTEL VVinshemius Medicæ artis Doctor natus est anno Christi 1501. dimidia hora post meridiem.

Simon Gryneus vir pius & doctus in Academia Basilienſi obijt, anno 1541. ætatis suæ 47.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

II. AVGVS.

IIII. NONAS.

CLADES CANNENSIS, & VARIANA.

Horribili clade cæsi sunt Romani ab Hannibale ad CANNAS. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 16. Gell. lib. 5. cap. 17.

Eodem die ab HARMINIO Germano, Cheruscorum Duce, cæsus est QVINTILIVS VARVS, & cum eo tres Legiones & omnia auxilia Romanorum, in saltu Teutoburgiensi, anno vrbis 762. Anno Christi duodecimo. Cornel. Tacit. lib. 1. Commentar. in Suetonij Augustum.

GVILELMVS Rufus ANGLIÆ Rex, qui ANSHELMVM Cantuariensem ex Episcopatu expulit, & raptis ad se bonis Ecclesiæ per iocum dicere solitus est: Pinguem panem Christi dulces Regibus delicias præbere, in venatione à suorum aliquo sagitta traiectus miserè periit. Anno 1100.

III. AVGVSTI.

אָב V.

III. NON. SEXTIL.

ΛΩΟΣ.

PVGNA AD PLATAEAS.

Ingens Persarum exercitus, quem post fugam Xerxis in Bœotia ad subigendam Græciam retinuerat MARDONIVS, *victus ac fœda strage cæsus est ad* PLATÆAS *duce* PAVSANIA *Plutarch. Camillo.*

Idem Plutarchus in Aristide de hac pugna sic scribit: Ταύτῃ τῇ μάχῃ ἐμαχέσαντο τῇ τετράδι Βοηδρομιῶνος ὑστεμβύε κατ' Ἀθηναίους, κ) ὃ Βοιωτοὺς τετράδι Πανέμε Φθινοντος, ἣ κ) νῦν ἔτι τὸ ἐλλωινὸν ἐν Πλαταιαῖς θροίζεται σωτήριον, κ) θύεσι τῇ ἐλευθερίῳ Διὶ Πλαταιεῖς ὑστερ τ νίκης.

Eodem die classis Persica victa est ad MYCALEN *promontorium Asiæ in Caria à* XANTIPPO *patre Periclis. Plutarch. in Camillo.*

IOHANNES MARCHIO BRANDEBVRGENSIS IOACHIMI I. *Electoris filius ex* ELISABETHA IOHANNIS I. *Regis Danorum filia, frater Ioachimi II. Electoris, nascitur anno 1513. dimidia hora post tertiam pomeridianam.*

ERNESTVS *Dux Saxoniæ Archiepiscopus Magdeburgensis moritur anno Christi 1513.*

AQVILA matutino occidit.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

IIII. AVGVS.

PRIDIE NONAS.

ΜΕΣΟΡΗ.

CICERO EIECTVS IN EXILIVM.

Pridie nonas Sextiles Cicero ab exilio in patriam reuocatus Dyrrachio profectus est Brundusium ipso illo die, quo lex de ipso lata fuerat à Clodio ante annum qua eiectus fuit in exilium, Epist. 1. lib. 4. Atti.

Gulielmus Budæus vir clariss. & Græcæ linguæ peritissimus obijt Parisijs, anno 1540.

ΠΑΌΚΑΜΟΣ. Coma Berenices mane oritur.

V. AVGVSTI.

אָב V.

NONAE SEXTIL. ΛΩΟΣ.

CICERO AB EXILIO REVOCATVS Brundusium venit, magnificè ab omnium vicinarum vrbium ciuibus exceptus.

Idem dies fuit natalis BRVNDVSINÆ vrbis & TVLLIÆ FILIÆ CICERONIS, vt testatur ipse in oratione pro Publio Sestio, vbi locus corruptus restitui potest ex prima Epistolæ libri quarti ad Atticum.

C. Iunius Bubulcus Brutus Cos. de Samnitibus triump. anno vrb 442.

Inter HEINRICVM & CVNRADVM Quartum Reges Romanorum iuxta Mœnum ad Francofordiam prælium commissum: in quo ingenti clade CVNRADVS superatus est, Anno Christi 1247.

Vincentius Küfflein egregius Musicus et liberalium artium cultor Budingæ moritur. Anno 1552.

VI. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. V III. IDVS.

ΜΕΣΟΡΗ.

VICTORIA MARATHONIA.

SIXTVS.

Medorum maximus exercitus, quem exul Atheniensis HIPPIAS PISISTRATI Tyranni filius in Atticam adduxerat, ab exiguis copijs Atheniensium ad MARATHONEM fusus ac fugatus est duce MILTIADE, Plutarch. Camillo.

Hoc die MAHOMETES II. Imperator Turcicus paulò post captam Constantinopolin cum ducentis millibus Turcarum Hungariam ingressus, ab oppugnatione BELGRADI, virtute IOH. HVNIADIS cum exigua Hungarorum manu repulsus est, castrisq; exutus, accepto vulnere ægrè euasit, Anno 1456. Propter hanc victoriam Vngarorum pontifex Rom. Calixtus III. mandauit in Ecclesia hoc die celebrari memoriam Transformationis Christi in monte.

Anno 1546. cùm iam essent apparatus eius belli, quod postea gessit Imperator CAROLVS V. contra Confœderatos Principes Electorem Saxoniæ, Landgrauium Hassiæ, & reliquos, MECHLINIÆ in Brabantia circa medium noctis orta sæua tempestate, de cœlo tacta est domus Imperatoria, & incensus puluis Bombardicus conclusus in sexcentis vasculis, quæ Tonnas vocant, quem iussi erant ciues mittere in Germaniam superiorem ad bellum contra Lutheranos. Puluis verò igne correptus circiter septingentas domus Arci vicinas & templa diiecit, exussit, & vltra trecentos homines miseris modis extinxit.

Henricus II. Leo, Lotharij Imp. nepos Princeps Germaniæ potentiss. et Sextus Elector Saxoniæ, obijt Brunsuigæ anno Christi 1195. cum Electoratum gessisset annos 40 sed 15. annis exulasset.

Hieronymus Fracastorius Veronensis Medicus & Poëta excellens, maior septuagenario, inter prandendum apoplexia correptus in Capsi montis ædibus suis interijt, anno 1553.

VII. AVGVSTI.

בְּ V.

VII. IDVS.

ΑΩΟΝ.

Mensis V. die VII. remissus in Iudæam à Nabuchodonosor Rege Babyloni-co Princeps Nabuzardan cum exercitu, post direptam antea vrbem, & abductum regem Sedechiam, TEMPLVM IEROSOLYMITANVM ET VRBEM TOTAM INCENDIT. *4. Reg. 25. cap.*

Secundum prælium HENRICI IIII. *cum Saxonibus commissum est in Franconia, in quo aduersariæ partis Dux* RODOLPHVS *Sueuus in fugam versus est, Magdeburgensis Episcopus occisus, Mersburgensis abiectis armis fuga vix euasit, Moguntinus & VVormaciensis capti sunt, Anno Christi 1078.*

GEORGIVS RHAVV *Typographus VViteberg: vir eruditus & bonus, multis annis excruciatus sæuissimis doloribus calculi, hoc die obdormiuit in Domini inuocatione, Anno 1548.*

ΒΑΣΙΛΊΣΚΟΣ Cor Leonis mane oritur, & vesperi occidit cum Sole.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

VIII. AVGVS.

ΜΕΣΟΡΗ.

VI. IDVS.

HENRICVS III. IMPERATOR *cognomine Senior mœrore animi debilitatus, cùm filius Henricus V. incitatus contra patrem à Pontifice Romano & Episcopis, ipsi non modo Imperij insignia extorsisset, sed etiam palam bellum denunciaret, nisi ad ipsius colloquium, vt priuatus, accederet, hoc die moritur, anno 1106. & cadauer eius sepultum Leodij, mandato Pontificis Romani rursus ex sepulchro extractum, stetit quinquennium totum Spiræ in feretro, antequam placatis Episcopis iterum potuerit sepeliri.*

IOACHIMVS PRINCEPS IN ANHALT ET ASCANIA *natus est anno Christi 1509. minutis 24. post quintam matutinam.*

Q. Fabius Max. contra Allobrogum gentes Aruernorumq; Regem fœliciter pugnans, in acie febri quartana liberatus est, cæsis centum triginta millibus hostium. Plin. lib. 7. cap. 50. Fuit hic L. Opimij Collega in consulatu, anno vrb. 633.

IOHANNES FRIDERICVS IIII. IOHANNIS FRID. *Electoris Nepos. Dux Saxoniæ, moritur VVimariæ in ipsa disputatione habita inter Victorinum & Flacium Anno 1560.*

IX. AVGVSTI.

V. אָב

V. IDVS. ΛΩΟΣ.

תִּשְׁעָה בְאָב

Hoc die recentes Iudæi credunt incensam esse vrbem Ierosolymam à Nabuchodonosor & Tito. Quare hoc die ieiunium strictissimè seruant, incedentes nudis pedibus, & humi sedentes, & cùm alias partes Bibliorum recitant, continentes tristem aliquam historiam, tùm Threnos Ieremiæ ter perlegunt.

Hoc die VALENS *Imp. in Oriente, Valentiniani frater, Arianorum errore corruptus, cùm crudelissimè persecutus esset Episcopos & Pastores piè de Domino nostro* IESV CHRISTO *iuxta doctrinam Apostolicam & Symbolum Nicenum sentientes, prælio infœliciter commisso cum Gothis, in pago quodam non procul ab Adrianopoli ab hostibus incenso combustus periit, Anno Christi 381. ætatis 50. Imperij 16. anno.*

BVGSLAVS *Dux Pomeraniæ, Ducis Philippi filius tertius nascitur anno 1544. dimidia hora post septimam vespertinam.*

Dominus GABRIEL *de Peren Comes perpetuus comitatus Abauuiuuarienſis &c. nascitur in Vngaria hora 10. antemeridiana Anno 1532.*

Anno 1557. auspicijs PHILIPPI *Regis Hispaniæ & Archiducis Austriæ pugnatum fœliciter est cum copijs* HENRICI II. *Galliarum Regis inter Quintinum et Derueram, in qua pugna vltra 5000. cæsi & decies mille capti sunt.*

Anno 1548. Sixtus Diterich celebris Musicus, moritur Constantiæ.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. # X. AVGVSTI.

ΜΕΣΟΡΗ. IIII. IDVS.

LAVRENTIVS.

Decimo die mensis Λῴου *milites* TITI *non expectato mandato ducis, qui parcere voluerat ædificio omnium magnificentissimo,* TEMPLO IEROSOLYMITANO IGNEM INIICIVNT, *post quam conflagrationem nunquam instauratum est Templum, vt scribit Iosephus libro 6. ἀλώσεως cap. 26. & 27. Qui addit eodem die ante annos 617. à Nabuchodonosoris exercitu Templum Ierosolymæ exustum esse, inquiens:* Θαυμάσαι δ' ἄν τις ἐν αὐτῇ τῇ περιόδῳ τῶν ἀνελίξεων, ἢ μίαν γοῦν ὡς ἔφην ἐν ἡμέραν ὑπενήνοησε τῷ αὐτῷ, ἐν ᾗ πρότερον ὑπὸ Βαβυλωνίων ὁ ναὸς ἐνεπρήσθη.

BAIAZETES II. *Turcicus Imperator* SOLYMANNI *auus* METHONEM *vrbem Peloponnesi munitissimam, quam tunc Veneti tenebant, post diuturnam obsidionem occupauit, eiusq; loci Episcopum aliosq; nobilissimos in ciuitate viros ad se pertractos in conspectu suo mactari iussit. Anno 1499.*

ERICVS DVX BRVNSVICENSIS DVCIS ERICI *filius natus est anno 1528. minutis sex post tertiam matutinam.*

VNGARI *in campo* LYCI *magna strage superati sunt ab* OTHONE *primo Imp. anno Christi 955.*

ROBERTVS SANSEVERINAS *à* SIGISMVNDO *Austriaco in fugam versus, in Athesi submergitur, Tridenti sepultus.*

Franciscus Francisci Galliarum R. filius primogenitus, post ludum Pilæ aquam frigidam auide exhauriens, inflammatione secuta, mox extinctus est, non sine veneni suspicione Anno 1536.

XI. AVGVSTI.

אֲ V.

III. IDVS.

ΛΩΟΣ.

FIDICVLÆ occasus matutinus AVTVMNI initium asserebat Romanis. Plinius lib. 18.

L. Tarquinius Rom. Rex Damariti Fil. Priscus, de Sabinis triumphum egit.

OTTO DVX LVNEBVRGENSIS frater Ducis ERNESTI mortuus est anno 1549. ætatis 53.

Quintum prælium HENRICI IIII. Imp. Romani in Franconia commissum est cum Saxonibus post obitum RODOLPHI affinis, anno 1086.

NICOLAVS de Cusa Episcopus Brixiensis Cardinalis, Theologus, Rhetor, Mathematicus, Philosophus facilè princeps, & trium linguarum peritus, moritur anno Christi 1464. ætatis 63. sepultus Romæ.

STRIGONIVM Vngariæ oppidum captum est à SOLYMANI Turcici Imperatoris exercitu anno 1543.

SIGISMVNDVS A BRANDENSTEIN in Neideck nobilis vir, natus est, Anno 1256. horâ 9. antemeridiana.

XII. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

PRIDIE IDVS.

CLARA.

CHRISTIANVS REX DANIÆ & NORVVEGIÆ nascitur anno 1503. horis 13. minutis 56. post meridiem.

Anno 1542. Arx & oppidum VVolfenbüttel munitissimum, post octidui obsidionem Duci Sax: IOHANNI FRIDERICO ELECTORI & PHILIPPO Hessorum principi est dedita.

XIII. AVGVSTI. אב V.

IDVS SEXTILES. ΑΩΟΣ.

L. Valerius Publicola Potitus Cos. de AEquis triump. egit anno vrb. 306.

M. Valerius Max. de Samnitibus & Soranis, anno vrb. 441.

Q. AEmylius Barbula de Etruscis anno vrb. 442.

SERVORVM DIES FESTVS, quòd eo die natus crederetur Seruius Tullus Sex. Pompeius.

PHILIPPVS MARIA Dux Mediolanensis, suæ gentis postremus, moritur anno 1447. cui FRANCISCVS SFORTIA Socer successit, victis & fugatis Venetis, qui Italiæ Imperio inhiabant.

IOHANNES Dux Saxoniæ ELECTOR, FRIDERICI ELECTORIS frater & successor, moritur in oppidulo Schueinitz. anno 1532.

HERMANNVS Archiepiscopus Colonienſis, ex illustri comitum à VVEDA familia natus, ætate grauis, & ob synceræ doctrinæ Euangelij confessionem paulò ante ab Archiepiscopatu deiectus, in patria placide obijt Anno 1552.

XIIII. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. XIX. CAL. SEPTEMB.

ΜΕΣΟΡΗ.

GEORGIVS PRINCEPS IN ANHALT ET ASCANIA, PRÆPOSITVS MAGDEBVRGENSIS natus est anno 1507. hora 2. pomeridiana.

Anno 1552. BVDISSINÆ pars nubis auulsæ subitoq; in aquas conuersæ delapsa, tanta aquarum copia SVEVVM fluuium auxit, vt spacio duorum miliarium omnes pontes, domos, hortos ripis vicinos aquarum impetus auferret, & vltra ducentos homines suffocaret.

XV. AVGVSTI.

אָב V.

XVIII. CAL. SEPTEM.

ΛΩΟΣ.

ASSVMTIO MARIAE VIRGINIS.

חֲמִשָּׁה עָשָׂר בְּאָב׃

Hoc die celebrant Iudæi conuiuia, quo credunt captiuitatem Babylonicam mitigatam esse, & inchoari nouam anni partem,

MAGNENTIVS, qui Imperatorem laudatissimum CONSTANTEM, CONSTANTINI MAGNI filium, in cuius exercitu fuerat Tribunus militum, nefariè per insidias occiderat, & Imperium inuaserat, ingenti prælio victus à CONSTANTIO, hoc die sibi ipsi mortem consciuit, anno Christi 356.

ÆNEAS SYLVIVS Senensis, postea ad Pontificatum euectus dictus PIVS secundus mortuus est anno 1464. ætatis 64. Pontificatus 6.

HENRICI VII. Imperatoris Lucelburgensis, Beneconuenti Hetruriæ vrbe veneno sublati, dato in Eucharistia à Monacho pecunia corrupto à Senensibus, ossa hoc die PISAM sunt translata, Anno Christi 1313.

Anno Christi 1309. Hospitalarij Diui Iohannis, RHODVM Insulam Turcis ereptam, occuparunt, vnde appellati sunt Rhodij equites.

XVI. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

XVII. CAL. SEPTEM.

Ἀθηναῖοι τὴν περὶ ΝΑΞΟΝ ἐνίκων ναυμαχίαν, ἢ ΧΑΒΡΙΑΣ ἐστρατήγει, & Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν παυσέληνον. Plutarchus in Camillo. De hac pugna idem Plutarchus in Phocione inquit: Ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν, οἰνοχόημα χαβρίας Ἀθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ φθίνοντι δεκάτῃ & Βοηδρομιῶνος.

LEONHARDVS CÆSAR natus in Bauariæ oppido Rabb, non procul à Patauio, vir integerrimus & pijssimus, ob confessionem veræ & sinceræ doctrinæ Euangelij, sicut à Christo ipso & Apostolis ea tradita est, ab Episcopo Patauino aliquandiu in carcere detentus, postea iure sacerdotali solenni ritu spoliatus, & Magistratui seculari traditus, hoc die mandato ducis Bauariæ in oppido SCHERDING crematus est, magna constantia atrocissimum supplicium ob veritatis confirmationem perferens, anno Christi 1527.

MATTHIAS HVNIADIS Rex Vngariæ VIENNAM primum cinxit obsidione durante 27. hebdomades, anno 1476.

IOHANNES Dux Sax. ELEC. qui Augustæ in Conuentu anno 1530. Imperatori CAROLO V. confessionem suæ fidei & Ecclesiarum aliquot coniunctarum intrepidè exhibuit, & pios Doctores clementer fouit & protexit, mortuus in Arce Sueinitz, hoc die sepultus est in templo arcis VViteberga anno 1532.

Arnoldus Burenius vir doctus & eloquens moritur Rostochij, vbi fideliter annos supra 30. docuit publice, ac priuatim, 1566.

XVII. AVGVSTI. אָב V.

XVI. CAL. SEPTEM. ΛΩΟΣ.

Ritu solenni introducta est in vrbem PRVSSIÆ REGIVM MONTEM ACADEMIA *anno 1544. primo Rectore* GEORGIO SABINO, *quem cum alijs doctis viris amplis stipendijs illuc vocauerat* ALBERTVS I. DVX PRVSSIÆ MARCHIO BRANDEBVRGENSIS.

Anno 1553. terræmotus vrbem MISENAM *concussit.*

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. MΕΣΟΡΗ. XVIII. AVGVS. XV. CAL. SEPTEMB.

CONSVALIA *celebrata Romæ in honorem Neptuni quotannis, cum hoc die* ROMVLVS *Sabinas virgines pellectas Romam prætextu ludorum Conso faciendorum rapuisset. Plutarch. Romulo.*

HELENA FLAVIA *Augusta, Britannici Regis vnica filia & Heres,* CONSTANTINI MAGNI *mater, octogenaria Romæ moritur hoc die, filio adhuc superstite, Anno Christi 337.*

ALEXANDER VI. *Pontifex per ministri incuriam epoto veneno, quod furtim iusserat dari* ADRIANO *Cardinali familiari suo, cuius in hortis vna cum* CÆSARE BORGIA *filio cœnabat, è vita excesit anno 1503. Bembus in historia Venet.*

PAVLVS IIII. *Pontifex Rom. cum magna Cardinalium & ciuium lætitia mortuus est anno Christi 1559. ætatis 82. die 38. post mortem Henrici II. Regis Galliarum.*

XIX. AVGVSTI.

אָב V.

XIIII. CAL. SEPTEM.

ΛΩΟΣ.

AVGVSTVS CÆSAR moritur, cum complesset annum ætatis 76. ferè, anno post Christi natalem 16.

FRIDERICVS III. Imperator, Maximiliani pater tranquillissimè moritur anno Christi 1493. ætatis verò anno 78. duobus annis maior Augusto Cæsare, & ab eodem tribus in Imperio annis superatus, quod hic 53. annos 4. menses & dies totidem: ille 56. annos rexit.

XX. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΉ.

XIII. CAL. SEPTEMB.

BERNHARDVS.

Claræ Vallis cœnobij primus Abbas, ibidem moritur hoc die anno ætatis 63. climacterico, Anno Christi 1153. sub Friderico I. Imperatore.

Athenis celebrata sunt MYSTERIA MAGNA.

THEBÆ BOEOTIÆ AB ALEXANDRO MAGNO FVNDITVS DELETÆ SVNT.

Eodem die aliquantò post ATHENÆ AB ANTIPATRO CARTÆ, & præsidio Macedonico oneratæ sunt 20. die βοηδρομιῶνος. *Plu. in Camillo.* Οὐκ ἀγνοῶ ὅτι περὶ τὸν τῶν ΜΥΣΤΗΡΙΩΝ καιρὸν αὖθις ΘΗΒΑΙ τε Κατεσκάφησαν ὑπὸ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, καὶ μὴ πᾶσιν Φερεφόνην Ἀθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὴν τὴν εἰκάδα τῆς βοηδρομιῶνος, ἣ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν. *Idem in Phocione:* Οὐ μικρὸν ἦ τῷ πείθεσθαι τοῖς καιροῖς, Εἰκάδι γὰρ ἡ Φερεφόνη βοηδρομιῶνος εἰσήχθη, μυστηρίων ὄντων, ἣν τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσῖνάδε πέμπουσιν.

Romæ VINALIA SECVNDA celebrata sunt, & flamen Dialis vindemiam auspicabatur. Plinius lib. 18. cap. 29.

VVENCESLAO Imp. CAROLI IIII. filio ignauo & voluptario ab Electoribus Imperium ademtum, quod annos 21. tenuerat & viuo successor datus est RVPERTVS Palatinus Rheni, anno 1400. Vixit postea priuatus Imperio annos 18.

GEORGIVS FRONSBERGIVS clarus dux moritur anno Christi 1528. ætatis anno 54.

CHILIANVS GOLDSTEIN Iunior, I.V.D. natus est VVitebergæ Anno 1527. hora 8 vespertina.

Nicolaus Packmeister, Mathematicus Ienensis, obit 1551.

XXI. AVGVSTI.

אֵ V.

XII. CAL. SEPTEMB.

ΛΩΟΣ.

Romæ dies Festus Holitorum. Varro.

XXII. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

XI. CAL. SEPTEMB.

Romæ dies festus Venatorum. Varro.

ERICVS Dux Pomeraniæ Ducis PHILIPPI filius sextus nascitur anno 1551. quadrante horæ post quintam vespertinam.

Anno 1268. CVNRADINVS Cunradi IIII. Imp. filius FRIDERICI II. Imp. nepos vltimus ex Barbarossæ familia nobilissima, multorumq; Regnorum & Imperij vnicus hæres, hoc die congressus cum CAROLO Ludouici Galliarum Regis Fratre in Marsis vincitur, & captus cum Friderico Austriaco, Pontificis Clementis IIII. incitatione securi percutitur. Cum Pontifex Carolo scisitanti de tractatione captiuorum respondisset: Vita Conradini mors Caroli: Mors Cunradini vita Caroli.

Balduinus Rex Ierosolymæ obijt, anno Christi 1131.

Extrema in cauda LEONIS mane oritur.

XXIII. AVGVSTI.

אב V.

X. CAL. SEPTEMB.

ΑΩΟΣ.

VVLCANALIA *Romæ celebrata sunt, vt testantur Epigrammata vrbis Romæ, fol. 165. B.*

L. Papirius Cursor II. COS. triumphum egit de Samnitibus anno vrb. 434.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

XXIIII. AVGVS.

IX. CAL. SEPTEMB.

BARTOLEMAEVS.

SELIMVS Turcarum Imp. AEgypti Sultanum Campsorem prælio superauit anno Christi 1516.

HENRICVS VII. Lucelburgensis Imp. in Hetruriæ oppido Beneconuenti, veneno necatur porrecto in Eucharistiæ pane consecrato anno 1311. cuius ossa post triennium PISAM translata sunt, vt supra annotatum est 15. die huius mensis.

FRIDERICVS II. ELECTOR Saxonicus natus est anno 1411.

IOHANNES Dux Saxoniæ Ducis GEORGII filius nascitur anno 1498. hora septima.

Hoc die CASIMIRVS Marchio Brandeburgensis in Comitijs Augustæ nuptias celebrauit cum Susanna filia Alberti Ducis Bauariæ, & Kunigundæ filiæ Frider. III. Imp. præsente MAXIMILIANO Imp. auunculo sponsæ & alijs Imperij Principibus. Anno 1518.

MAGNVS Dux Holsaciæ CHRISTIANI REGIS DANIÆ filius nascitur 40. minutis post decimam proximam meridiei, Hafniæ, Anno 1540.

DVRA oppidum Cliuiæ, tertio die obsidionis aliquoties ab exercitu Cæsaris CAROLI V. oppugnatum capitur, & direptum incenditur, Anno 1543.

Bartolemæus Bernhard natus est 1487. in opp. Sueuiæ Feltkirch. Is præpositus fuit Ecclesiæ Kembergensis & post repurgatam à D. M. Luthero doctrinam Euangelij, primus ex ordine sacerdotali coniugem duxit, ex qua plures liberos procreauit honestè educatos & elocatos, Huius tres filiæ tribus nupserunt fratribus VVanckelijs.

XXV. AVGVSTI.

אָב V.

VIII. CAL. SEPTEMB.

ΛΩΟΣ.

LVDOVICVS.

Anno 1518. quo Maximilianus habuit postrema comitia Augustæ, VENIT VVITEBERGAM PHILIPPVS MELANTHON.

IOHANNES BASILIVS MAGNVS, Dux MOSCOVIÆ, qui anno 1554. bonam partem Tartariæ occupauit, & anno 1558. Liuoniam maximis cladibus affecit, natus est anno 1530. dodrante horæ post decimam vespertinam. Sigismundus Baro ab Herberstein in Moschouia sua, facit eum biennio maiorem, natum affirmans anno 1528.

XXVI. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

VII. CAL. SEPTEMB.

ΜΕΣΟΡΉ.

DARII ingentibus copijs postremo prælio AD ARBELA victis, & interfecto à cognatis Dario Rege in fuga, ALEXANDER MAGNVS ASIÆ IMPERIO POTITVS EST, anno sexto regni sui, ante Christum natum 329. Estq; hoc die Monarchia à Persis translata ad Græcos. Plutarch. in Camillo. Πέρσαις ἡττήθησαν πέμπτῃ καὶ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος ἐν ΑΡΒΉΛΟΙΣ.

M. Horatius Barbatus COS. triumphum egit de Sabinis, Anno vrbis 306.

ERNESTVS Dux Saxoniæ Elector, FRIDERICI secundi filius, Ducum FRIDERICI & IOHANNIS Electorum pater, moritur anno 1486. inchoato ætatis anno 46.

EDVARDVS III. Anglorum Rex ingenti strage Gallos fudit, quorum ad 30. millia cæsa dicuntur, inter quos IOHANNES Rex Boiemiæ, & multi præstantes Duces, ac præcipua nobilitas Galliæ occubuerunt, Anno 1446.

D. HIERONYMVS EBNERVS duumuir Reip. Noriberg. literatorum patronus, obijt Anno Christi 1532. ætatis 55.

Anno 1516. Selymus Turcarum Imperator, Pater Solymanni acerrimo prælio conflixit cum Mamalucis non procul à Damasco, in quo prælio Sultanus AEgypti, Campson Gaurus, nefarie proditus ac desertus à Caierbero præfecto Alepi cum duobus præfectis Damasceno & Tripolitano occubuit. Peucerus 272. 5.

Hoc die Anno 1444. Conflixerunt Heluetij cum Gallis, quos Ludouicus Delphinus instinctu Eugenij Papæ ad disturbandam Synodum, Basileam adduxerat, vbi à paucis Heluetijs ad Sex millia Gallorum occisa sunt.

RODOLPHVS Imper. victo & in acie occiso Ottocaro Boiemiæ Rege, Austriam recuperauit, quam 22. annos tenuerat Ottocarus, Anno 1278.

XXVII. AVGVSTI. אב V.

VI. CAL. SEPTEMB. ΑΩΟΣ.

Hoc die THEODOSIVS Imp. ad Mediolanum vicit, & victum à proprijs militibus ad se deductum supplicio affecit MAXIMVM Tyrannum, qui Imperium in occidente inuaserat, & GRATIANVM Imp. optimum virum per ducem suum ANDRAGATIVM nefariè structis insidijs occidi curauerat, qui tamen ANDRAGATIVS eodem die parricidij pœnas luit, metu victoris Theodosij in flumen seipsum præcipitans, Anno Christi 391.

GEORGIVS ALBERTI F. Dux Saxoniæ, nascitur 12. minutis ante duodecimam meridiei anno 1471. mortuus ætatis anno 68. Christi 1539.

IOHANNES FRIDERICVS Dux Pomeraniæ Ducis Philippi filius secundus, nascitur anno 1542. quadrante horæ post quintam vespertinam.

MAXIMILIANVS Dux VVirtebergensis, Ducis CHRISTOPHORI filius, ex Anna Maria Marchionis Brandeburgensis GEORGII filia nascitur Studgardiæ inter 9 & 10. circa prandium, Anno 1556.

Anno 1523. natus est in Misniæ oppido metallico Schneberga, M. CASPAR EBERHARDVS Pastor Ecclesiæ Misenensis hora 12. Meridiei.

Alexander III. Pont. Rom. à quo Fridericus I. Imp. multipliciter ac fœde vexatus ac pedibus calcatus Venetijs fuerat, hoc die moritur Romæ 1181.

XXVIII. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. V. CAL. SEPTEM.

ΜΕΣΟΡΗ.

AVGVSTINVS

Episcopus Hipponæ in Africa, obijt anno Christi 433. anno Episcopatus sui 40. GENSERICO Vandalorum Rege tunc mensem tertium vrbem Hipponam obsidente.

XXIX. AVGVSTI.

אב V.

IIII. CAL. SEPTEM.

ΛΩΟΣ.

DECOLLATIO IOHANNIS.

Solymanno Imperatori cum ducentis millibus Turcarum Hungariam ingresso, infœlix Rex LVDOVICVS *agens annum ætatis 20. non expectatis auxilijs vicinorum, cum exiguis copijs occurrit inter Budam & Quinq; Ecclesias, & ducum suorum importunis solicitationibus ad prœliandum compulsus, & ab equitatu suo nudatus, dissipato à Turcis exercitu, ipse quoq; fugiens, in loco palustri ab equo collapso oppressus est, & 15. millia Christianorum desiderata sunt, Anno 1526. Iouius.*

TVNETVM *in Africa expugnatum est à* CAROLO V. *Imp. Roma. Anno 1535.*

IOHANNES NÆVIVS *Artis Medicæ Doctor excellens, natus est anno 1499. semisse horæ post secundam matutinam.*

Anno 1567. commisso prœlio à Polonis ad 10. millia Moschorum occisa, & duces exercitus capti sunt.

XXX. AVGVS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ.

ΜΕΣΟΡΗ.

III. CAL. SEPTEMB.

Anno 1555. SOLYMANNVS *Turcarum Imperator filium suum natu maximum* MVSTHAPHAM *ob suspicionem affectati imperij fœdo supplicio interimi iussit.*

VVolfgangus Musculus Dusanus, Theologus clarus moritur Bernæ Anno 1563. ætatis suæ 66.

XXXI. AVGVSTI.

אָב V.

PRIDIE CAL. SEPTEMB. ΛΩΟΣ.

Natalis duorum Imp. C. CÆSARIS CALIGVLÆ, & COMMODI ANTONINI, *qui ambo ex optimis patribus prognati,* GERMANICO & MARCO ANTONINO, *ab illorum virtute degenerantes, fœdissima portenta, & monstra generis humani fuerunt.*

MAHOMETES II. *Turcarum Impe.* HYDRVNTEM *Calabriæ oppidum maritimum captum summa crudelitate diripit, anno* 1480.

CAROLVS MAXIMILIANVS *natus Dux Angolismensis, filius* HENRICI II. *Regis Franciæ, nepos Regis* FRANCISCI I. *ex Catharina Medicea Florentina nascitur anno Christi* 1551. *qui postea in regni gubernatione successit fratri* FRANCISCO II. *Regi Franciæ, mortuo 5. die Decembris anno* 1560. *paulum egressus 9. ætatis annum.*

Anno 1523. *Vlricus Huttenus in insula lacus Tigurini apud Heluetios obÿt.*

SEPTEMBER.

אלול ELVL.

SEXTVS.

ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

SVIDAS: Γορπιαῖος μὴν ὁ Σεπτέμβελος ἐν Μακεδόναις, vbi malè legitur Γορδιαῖος.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ.

Dictus etiam ΜΥΣΤΗΡΙΑ à festo, vt Galenus testatur lib. 4. de tuenda sanitate: Ἐσὶ μὴν ὠφελιμώτατον τὸ ἐλάτης τὸ πτέρμα τῷ ἀπιτολῷ ἢ ΑΡΚΤΟΥΡΟΥ, ὅτις καιρὸς ἐν Ρώμῃ ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβελός ἐστιν, ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν τῷ Θερεπαῖος, ἀθλήσει δὲ ΜΥΣΤΗΡΙΑ.

ΘΩΘ.

ÆGIDIVS celebrat MARIÆ *virginis ortum, Quo combusta die Solymorum mœnia narrant.*

Plutarchus in Publicola coniungit Septembrem cum Attico Mense Metagitnione, cum dicit: Capitolium dedicatum esse ἔιδοις Σεπτεμβρίαις ὁ σωτηχαὶ ὡὲ τὼν πανσέλλωνον μάλιστα ⁋ μεταγιτνιόντ⊙. *pag. 35. B.*

I. SEPTEMB. VI. אלול

CALENDAE. ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

AEGIDIVS.

ACADEMIA LOVANIENSIS inchoata est anno Christi 1426. Barlandus.

Oppidum Bauariæ CHAM ferme totum exustum est, exceptis publicis ædificijs, Templo, Curia, Ludo, Hospitali, & decem priuatis casulis, exorto igni ex pistoris domo extra vrbem, Anno 1558.

Anno 1535. Ioachimus II. Marchio Brandeburgensis Elector nuptias celebrauit Cracouiæ cum Heduuiga filia Sigismundi Regis Polonorum nepte Casimiri III. sorore Sigismundi Augusti regis Poloniæ, quæ peperit ei SIGISMVNDVM Archiepiscopum Magdeburgensem, & 3. filias, Elisabetham nuptam Francisco Ottoni Duci Luneburgensi, paulo post nuptias defuncto Anno 1559. HEDVVIGAN nuptam IVLIO Duci Brunsuicensi Anno 1560. in Bacchanalibus. Et Sophiam nuptam VVilhelmo Domino à Rosenberg in Boiemia 1561. die 14. Decembris.

II. SEPTEMB. אלול VI.

III. NONAS. ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

AVGVSTVS CÆSAR NAVALI PRÆLIO INGENTEM CLASSEM M. ANTONII TRIVMVIRI ET CLEOPATRÆ VICIT AD ACTIVM, anno vicesimo octauo ante natum Christum, quo bellis ciuilibus finem imposuit, & solus imperio potitus est. DION.

Anno 1541. SOLYMANVS Turcorum Imperator à vidua IOHANNIS VAIVODÆ Regis Vngariæ & à tutoribus filioli accersitus in Vngariam, contra exercitum FERDINANDI Regis Vngariæ obsidentem tunc BVDAM, fraude euocato ad se in castra filio Vaiuodæ, & vidua exire iussa in Transyluaniam, contra ius fasq; occupata vrbe BVDA & arce, hoc die templum summum ingressus, Deo suo gratias egit ob captam tanta facilitate vrbem Vngariæ præcipuam, & relicto in ea præsidio, in castra reuersus est.

Anno 1557. mortuus est IOHANNES Dux Brunsuicensis & Lüneburgiacus ex vulnere pedis, quod globo ictus acceperat, die Laurentij, 10. Augusti, in prælio, commisso contra Gallos inter oppida Picardiæ Quintinum & Derueram, sepultus Camerati.

ΜΑΪΜΑΚΤΗΡΙΩΝ. # III. SEPTEM.

III. NONAS.

ΘΩΘ.

C. Sosius Procos. ex Iudæa triumphauit anno vrb. 719.

Anno Christi 1566. SOLYMANNVS Imperator Turcicus, octogenario maior in castris ad Sigethum in Vngariæ, Senio confectus, mortuus est, cuius Bassa Mahomet, occultata aliquandiu morte Imperatoris, vrgens oppugnationem Sigethi, quarto die post, plurimis suorum amissis expugnatum cepit.

IIII. SEPTEMB.

אלוה VI.

PRIDIE NONAS. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

CICERO AB EXILIO REVOCATVS, mirifico ſtudio omnium ætatum atq; ordinum, & plauſu maximo congratulantium ciuium, vrbem Romam ingreſſus, in capitolium atq; inde domum ſuam deductus fuit. Epiſtola 1. lib. 4. ad Atticum.

Qu. Fabius Maximus Rullianus V. COS. de Samnitibus, Etruſcis & Gallis triumphum egit anno vrb. 458.

V. SEPTEMB.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ. NONAE.

ΘΩΘ.

IOHANNES PRINCEPS IN ANHALT ET ASCANIA naſcitur anno 1540. mane ante diluculum quadrante horæ ante ſecundam horam, moritur 4. die Februarij anno Chriſti 1551. ætatis 47.

M. Fabius Ambuſtus COS. ouans de Hernicis vrbem ingreſſus anno vrb. 393.

IACOBVS V. huius nominis Rex Scotiæ moritur Anno Chriſti 1541. ætatis 33.

VI. SEPTEMB.

VIII. IDVS. VI.

ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ. VII. SEPTEM.

ΘΩΘ. VII. IDVS.

Vltimus labor militum Romanorum sub TITO *absoluitur, capta superiori parte vrbis Ieroſolymæ, cuius munitio fuerat Templum.*

L. Cæcilius Metellus Procoſ. de Pœnis triumphauit anno vrb. 502.

FRIDERICVS II. *Dux Saxoniæ Elector: Qui cum fratre VVilhelmo bellum ciuile geſsit, mortuus eſt Lipſiæ anno Chriſti 1463. ætatis 53.*

Anno Chriſti 1488. mortuus eſt FRANCISCVS *vltimus Dux* BRITANNIÆ, *relicta vnica filia hærede ducatus, quam deſponſatam* MAXIMILIANO *Imperatori cùm præripuiſſet* CAROLVS VIII. *Galliarum Rex, hac occaſione ducatum Britanniæ Regno Franciæ adiunxit.*

SIGETVM *in Vngaria, non procul à ripa Draui, poſt difficilem obſidionem, decimaquarta oppugnatione expugnatum, pluribus ſuorum amiſsis, occupat* SOLYMANNI *Imperatoris Turcici quatriduo ante in ijſdem caſtris defuncti, Capitaneus Mahomet Baſſa, Anno 1566. vbi fortiter dimicans in ponte arcis occubuit* NICOLAVS *Comes Serinenſis, cuius caput amputatum à Turcis miſſum eſt ad Imperatorem* MAXIMILIANVM II. *ad cuius patrem Ferdinandum ante aliquot annos idem Comes Serinenſis attulerat Serico inuolutum caput Catiani à ſe occiſi, violato iure hoſpitij & fraternitatis.*

SIBYLLA MARIA *filia Iohannis VVilhelmi Ducis Saxoniæ nata eſt VVimariæ Anno 1563. Mortua 20. februarij Anno 1569. Aldeburgi, durante adhuc colloquio.*

VIII. SEPTEM. אלוה VI.

VI. IDVS. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

MARIAE VIRGINIS NATALIS.

TOTA VRBS IEROSOLYMA, occisis obstinatissimè se defendentibus Iudæis DIREPTA ET TANDEM INCENSA CONFLAGRAVIT, quod excidium ante 40. annos CHRISTVS Iudæis prædixerat, & factum est anno Christi 73. anno 2. Imperij Vespasiani. Ioseph. pag. 888.

MOSCHI A SIGISMVNDO REGE POLONORVM victi sunt memorabili pugna ad BORISTHENEM anno 1514.

Anno 1533. nata est Domina ELISABETHA Regina Angliæ, HENRICI VIII. filia ex Domina ANNA BOLLONIA Regina, circa vesperam, in arce Regia Greenuuicia, distante 7. miliaribus à Londino.

PESTVM Vngariæ à Turcis capitur anno 1541.

MAXIMILIANVS FERDINANDI Imp. Rom. filius, Rom. & Boiemiæ Rex Archidux Austriæ, coronatus est in Regem Vngariæ POSONII Anno 1563. præsente Patre FERDINANDO Imp. & duobus fratribus FERDINANDO & CAROLO Archiducibus Austriæ.

1500. Florentiæ natus est Petrus Martyr Theologus.

1497. VVolffgangus Musculus Theologus nascitur in opp. Dusa non procul Tabernis Alsatiæ.

ΠΡΟΤΡΥΓΗΤΗΣ mane oritur.

IX. SEPTEM.

MAIMAKTHPIΩN. V. IDVS.

ΘΩΘ.

HONORIVS THEODOSII Imperatoris filius postea Imperator natus est anno Christi 387.

HIERONYMVS PRAGENSIS eruditione excellens, hæreses damnatus in concilio CONSTANTIENSI crematur anno 1415.

CAROLVS Aurelianensis Dux, FRANCISCI Regis Galliarum filius tertius obijt anno 1545.

Anno 1563. coronata est in Reginam Vngariæ coniunx Regis Maximiliani MARIA, Filia Caroli 5. Imperatoris.

PAVLVS GOLDSTEIN VVitebergensis, I. V. D. natus est anno 1532. quadrante horæ ante 9 noctis.

Valentinus Gentilis Neapolitanus, quod Trinitatem impugnasset pertinaciter multis annis, & blasphemias spargeret in filium Dei, hoc die iusto capitis supplicio affectus est Bernæ, anno 1566.

X. SEPTEMB.

אלול VI.

IIII. IDVS.

ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

LVDOVICVS V. Landgrauius Turingiæ & Haßiæ, maritus Diuæ ELISABETHÆ, febri moritur Hydrunti in Apulia Anno Christi 1228. ætatis 28.

IOHANNES HVNIADES rebus plurimis in Vngaria aduersus Turcas præclarè gestis, obijt anno 1456. cuius mortem visus est prænunciare Cometes, qui paulò ante exarserat.

GEORGIVS Landgrauius Haßiæ PHILIPPI filius nascitur anno 1547. inter 8 & 9. horam circa prandij tempus.

Eodem die, & anno, PETRVS ALOISIVS filius PAVLI III. Pontificis Romani, portentosæ libidinis bellua potius quàm homo, Placentiæ confoditur.

Hoc die Prorex Siciliæ auspicijs CAROLI V. Imp. Romani cum exercitu traijciens in Africam, vrbem TRIPOLIN capit, electo inde DRAGVTO Archipirata nobili Turcico.

XI. SEPTEM.

MAIMAKTHPIΩN.

III. IDVS.

ΘΩΘ.

IOHANNES GEORGIVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS filius IOACHIMI II. Electoris ex Magdalena filia Georgij Ducis Saxoniæ nascitur anno 1525. horæ primæ post meridiem.

CHRISTOPHORVS LONGOLIVS Mechlinienſis diligens imitator Ciceronis & vir doctißimus moritur anno 1522. sepultus Patauij, anno ætatis 34.

Anno 1570. ex fluxu Epatis placidè obijt Reuerendus & Cl. V. D. IOHANNES BRENTIVS Stutgardiæ, post horam 12. meridianam.

Paulus Iouius Nouocomensis Episcopus Nucerinus, historiarum nostri temporis scriptor grauiss. obijt, 1548. cum vixisset annos 68. menses 7. dies 23.

XII. SEPTEMB. אֱלוּל VI

PRIDIE. IDVS. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

ARCTVRI ORTVS matutinus vehementissimo significatu terra mariq; per dies quinq;, pridie Idus Septembris, XI. diebus ante æquinoctium. Plin. lib. 18. cap. 31. Idem lib. 2. cap. 47.

FRANCISCVS I. huius nominis VALESIVS REX GALLIÆ nascitur in oppido Galliæ Coignac in dittione Santonum, anno Christi 1494. hora 9. M. 44. post merid. latitudo 45. grad.

ALBERTVS Dux Saxoniæ filius, FRIDERICI II. pater Ducum GEORGII & HENRICI, moritur in expeditione contra Frisios susceptа, anno Christi 1500 ætatis 57. sepultus Misnæ.

Anno 1563. Posonij durante adhuc solemnitate coronationis Maximiliani Regis Vngariæ, cum in ludicro arx ligneа oppugnari cepisset, intus accenso pulvere bombardico ardescens aliquot Hispanos & Germanos extinxit aut periculose læsit.

ARCTVRVS matutino oritur.

MAIMAKTHPIΩN. # XIII. SEPTEM.

IDVS. ΘΩΘ.

Capitolium Romæ à Tarquinio Prisco votum & inchoatum, à Tarquinio Superbo extructum, tertio anno post illius electionem ab Horatio Consule hoc die solenni ritu dedicatum est. Plutarch. in Publicola.

L. Quintus Cincinnatus Dictator de AEquis triumphauit anno vrb. 295.

TITVS IMPERATOR VESPASIANI IMPERATORIS FILIVS, qui à patre cum exercitu in Iudæa relictus, maximo cum periculo & difficultate die natali filiæ suæ vrbem Ierosolymam expugnauerat & incenderat, natura adeò mansuetus & beneficus, vt Amor & Deliciæ generis humani appellaretur, cùm biennium Imperio post patris obitum præfuisset, febri correptus, hoc die moritur, anno ætatis altero & quadragesimo, anno Christi 83. decennio post euersam vrbem Ierosolymam.

Anno 1515. HELVETII victi & cæsi sunt memorabili strage à FRANCISCO Galliarum Rege primo anno regni ad Marignanum, duravit prælium toto biduo.

Anno 1558. in pia confessione & inuocatione filij Dei obijt GEBHARDVS Comes Mansfeldensis fermè octogenarius.

Vitus Amerbachius VVemdingensis obijt Ingolstadij, ætatis suæ 54. Christi 1557.

XIIII. SEPTEMB. VI.

XVIII. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

CRVCIS EXALTATIO,

Festum institutum ab HERACLIO *Imperatore, qui* PHOCÆ *successit, & anno Christi 624. hoc die deuictis tertio eoq; ingenti prælio Persis, Mesopotamiam, Syriam, Ierosolyma, AEgyptum recuperauit, & Crucem Dominicam ante 14. annos sub Phoca à Persis ablatam, cum Patriarcha Ierosolymitana recepit, quam postea in triumpho pro lauro manu tenens, in vrbem Constantinopolin inuexit, & constituit, vt quotannis hoc die Deo grátiæ agerentur pro hac tàm insigni victoria.*

IOHANNES CHRYSOSTOMVS EPISCOPVS CONSTANTINOPOLITANVS, cum bis in exilium esset electus, Eudoxia Arcadij Imperatoris coniuge instigante contra eum Episcopos alios, & Imperatorem maritum, iterum accersitus, antequam ad Ecclesiam suam rediret, hoc die in itinere apud Cucussam Armeniæ vrbem morbo consumtus obijt. Anno Christi 410.

Anno Christi 1509. hoc die cepit horribilis terræmotus adeò concutere CONSTANTINOPOLIN vrbem, vt plurima ædificia cum mœnibus ad mare euersa, & plus quàm tredecim millia hominum obruta & obtrita sint. In templo Sophiæ historia passionis Christi olim depicta in pariete, sed ab impijs Mahometistis calce oblita, iterum conspici cepit, incrustatione ædificij concussione soluta & deiecta. Triennio post BAIAZETHES II. Imp. Turcicus arte filij SELYMI per Ianizaros Imperio exutus, & Monasterium Turcicum ingressus, veneno extinguitur. Naucl.

ANTIOCHIA horribili terræmotu concussa, maximo damno affecta est, Anno Christi 462. id est, secundo anno Leonis Imperatoris Constantinopolitani. Nicepho. lib. 15. cap. 20.

MAIMAKTHPIΩN. XV. SEPTEM.

XVII. CAL. OCTOB.

ΘΩΘ.

SOLYMANNVS Turcorum Imperator post miserabiliter interfectum LVDOVICVM Vngariæ Regem, ferro & igni vastata vtraq; ripa Danubij vsq; ad Strigonium, nemine resistente, hoc die occupatam BVDAM Regum Hungaricorum sedem, fœdè diripuit, Anno 1526.

Anno 1565. obijt Cl. V. Modestinus Pistoris I. V. D. & professor ac consul Lipsensis.

XVI. SEPTEMB. אֱלוּל VI.

XVI. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

PLATÆENSES hoc die Μαιμακτηριῶν quotannis sacra faciebant Manibus eorum, qui contra Persas fortiter præliantes duce Pausania, ad PLATÆAS occubuerant, & ibidem sepulti fuerant. Plutarch. in Aristide, vbi ait: Οἱ Πλαταιεῖς ὑπεδέξαντο τοῖς πεσοῦσι ἐν κιθαιρῶνι αὐτόθι τῶν Ἑλλήνων ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, ἐν τούτῳ μέχρι νῦν δρῶσι τὰ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς, ὃς ἐστὶ παρὰ Βοιωτοῖς ΑΛΑΛΚΟΜΕΝΙΟΣ, τῇ ἕκτῃ ἴσταμένου δεκάτῃ. Ibidem habes totius pompæ descriptionem pag. 113.

M. Andreas VVINKELERVS Scholæ Vratislauiensis Rector, natus est, anno 1498.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ. # XVII. SEPTEM.

XV. CAL. OCTOB.

ΘΩΘ.

LAZARVS Bethanienſis, Mariæ & Marthæ frater, apud Maſſilienſes profeſſus doctrinam Euangelij, hoc die occiſus eſſe ſcribitur, anno Chriſti 80. annis ferè 46. poſt, quàm à Domino ex morte in vitam reuocatus fuerat.

THEODOSIVS Imp. hoc die difficilimo prælio vicit EVGENIVM Scribam ſuum, qui per inſidias interfecto VALENTINIANO Imperatore, Occidentis Imperium inuaſerat, poſt quam cladem Tyrannus Eugenius ad pedes pij Imperatoris prouolutus, ab aſtantibus militibus obtruncatus eſt. ARBOGASTVS verò, qui Eugenio impij conatus author & ſocius fuerat, elapſus fuga, poſt biduum metu Theodoſij ſibi mortem conſciuit, gladio per corpus adacto, Anno Chriſti 397. Tripart. lib. 9. cap. 45.

Anno 1520. natus eſt LAVRENTIVS LINDEMANI V. D. et Illuſtriſſ. Principis Domini AVGVSTI Ducis Sax. Elect. conſiliarius.

1102. moritur Beatrix, coniunx Friderici I. Barbaroſſæ Imp. ſepulta Spiræ cum hoc Epitaphio:

Hoc altare ſacrum gemmis auroq; decorum
Fecit peccatrix, non re ſed voce Beatrix &c.

Lucida CORONAE oritur mane.

XVIII. SEPTEMB. אֱלוּל VI.

XIIII. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

DOMITIANVS IMPERATOR VESPASIANI filius, TITO fratri, cui succeſsit, diſsimilimus, & omni genere flagitiorum contaminatus, hoc die conſpiratione intimorum libertorum & vxoris ipſius, per inſidias oppreſſus, & ſeptem vulneribus confoſſus eſt. Anno ætatis 45. Imperij 15.

FRIDERICVS DVX Lignicenſis & Brigenſis ſenior, moritur anno Chriſti, 1547. ætatis 67.

MELCHIOR ZOBEL Epiſcopus VVirtzburgenſis & Dux Franciæ &c. natus eſt, Anno 1505.

Germani vincunt Polonos prælio commiſſo ad Koiuiciam, Ducibus Iohanne Sagano & Henrico Plauenſi, Anno 1454.

MAIMAKTHPIΩN.

XIX. SEPTEM.

XIII. CAL. OCTOB.

ΘΩΘ.

Αἰγύπτιοι τῇ ἑνάτῃ ἀπὶ δέκα ἀπ' πρώτου μηνὸς ἑορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ, μέλι καὶ συκᾶν ἐσθίουσιν, ἀπιλέγοντες: ΓΛΥΚΥ Η ΑΛΗΘΕΙΑ. *Plutarch. in Oſiride.*

ANTONINVS PIVS Imperator ab ADRIANO adoptatus ad ſucceſsionem, hoc die natus eſt anno Chriſti 88.

Anno Chriſti 1356. cladem maximam acceperunt Galli ab Anglis. Nam IOHANNES Rex Galliarum PHILIPPI Valeſij filius ab EDVARDO VValliæ principe non procul ab vrbe Pictonum, prælio acerrimo victus, & vnà cum PHILIPPO filio minimo natu pluribuſq; nobilibus captus, in Angliam circa feſtum Paſchatis abducitur, cùm in eo prælio Gallorum occiſa eſſent vltra ſex millia.

EDVARDVS ALEXANDER natus Dux Andegauenſis, HENRICI II. Regis Galliarum filius, natus ex Medicea Florentina, nepos FRANCISCI I. Regis Galliæ, naſcitur anno 1552. horis 15. & min. 15. p. m.

XX. SEPTEMB.

אלוּל VI.

XII. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

L. CRASSVS ORATOR, cuius eloquentiam Cicero, cum alibi ſæpe, tum in libris de Oratore inſigniter prædicat, hoc die lateris dolore conſumtus eſt, cum idibus Septemb. in Senatu magna contentione vocis & laterum poſtremam orationem habuiſſet contra Philippum conſulem, Anno vrb. 663. quo anno Cicero egit ætatis 16 annum, lib. 3. de Orat.

ROMVLVS & REMVS Gemini ex ILIA veſtali vno partu editi ſunt, vt ex Varrone & Taruntio narrat Plutarchus.

Hoc die, qui erat Dominicus, MAXIMILIANVS Archidux Auſtriæ Imp. Ferdinandi filius in Regem Boiemiæ coronatus eſt Pragæ anno 1562. & poſtridie, hoc eſt, die Matthæi Apoſtoli, coniux & patruelis ſoror ipſius, Regina Hiſpaniarum domina MARIA CAROLI V. Regis Hiſp. Imp. Rom. patrui filia, coronam accepit.

Anno 1513. natus eſt in oppido Schleuſinga Illuſtris Princeps BODO *Comes Hennebergenſis minor fratrum.*

MAIMAKTHPIΩN. # XXI. SEPTEM.

XI. CAL. OCTOB.

ΘΩΘ.

MATTHAEVS APOSTOLVS

Ab AEthiopib. quos in fide et religione Chriſti diligenter inſtituerat, impij Regis iuſſu interfectus eſt anno Chriſti 76.

HIERONYMVS SAVONAROLA vir excellenter doctus, cuius eruditæ & piæ enarrationes Pſalmorum aliquot extant, naſcitur hoc die anno 1452. qui poſtea mandato Pontificis Florentiæ combuſtus eſt 1498.

FRIDERICVS III. ERNESTI F. Archidux AVSTRIÆ, IMPERATOR, PATER MAXIMILIANI, PROAVVS CAROLI V. cognomine Pacificus, naſcitur anno Chriſti 1415. hora dimidia poſt octauam pomeridianam.

CAROLVS V. Imperator, multorum regnorum Dominus, Archidux Auſtriæ, poſt reſignatum vltro Electorib. Imperium per legatos, cui annos 37. præfuerat, hoc die in Hiſpania moritur, anno 1558. in Monaſterio Valis Toletanæ, quo depoſitis Imperij inſignibus ſeſe abdiderat.

GEORGIVS Dux Megalburgenſis cum aliquot Turmis Equitum ingreſſus agrum Magdeburgenſem, oppidum VVansleben occupatum igne vaſtauit anno 1550.

XXII. SEPTEM. אֱלוּל VI.

X. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

MAVRICIVS.

VIRGILIVS Poëta rediens cum Augusto ex Græcia, agens annum ætatis 52. mortuus est Brundusij anno ante Christum natum 16. qui decumbens ipse sibi hoc Epitaphium distichon fecit:

MANTVA me genuit, CALABRI rapuêre, tenet nunc
PARTHENOPE, cecini, Pascua, Rura, Duces.

M. Valerius Coruus COS. triumphum egit de Samnitibus anno vrb. 410.

Idem Dux Megalburgensis GEORGIVS magna clade affecit Magdeburgenses cum aliquot cohortibus obuiam egressos, vt subditos suos tutarentur, & hostem ἀκήρυκτον bellum inferentem propulsarent, quam stragem secuta est difficilis obsidio vrbis Parthenopæ, quæ vltra annum durauit 1550.

1566. Berlini moritur Iohannes Agricola Islebius.

MAIMAKTHPIΩN. XXIII. SEPTE.

ΘΩΘ. IX. CAL. OCTOB.

C. OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS nascitur paulo ante exortum Solis M. Cicerone & M. Antonio Coss. anno 60. ante Christi natalem,
uo anno Pompeius Magnus Ierosolymorum vrbem & Templum expugnauit. Suetonius. Gellius lib. 15. cap. 7.

A. Cornelius Cossus Aruina COS. de Samnitibus triumphauit anno vrb. 410.

Anno 1551 Chasma horribile visum est VViteberge ab hora prima noctis secutæ diem Mauricij vsq; ad Solis ortum, sereno prorsus Cœlo & stellis conspicuis adeo fulgidum, vt multi crederent ardere vicinum pagum Teucheln, situm versus ptentrionem. Secuta est pestis, quæ Academiam VViteberga expulit, & biennio post, commissa est pugna in Saxonia, in qua victo & fugato Marchione Alberto, Dux Mauricius Saxoniæ Elector cum aliquot alijs principibus occubuit.

XXIIII. SEPTEMB. אֱלוּל VI.

VIII. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.

AEQVINOCTIVM AVTVMNALE TEMPORE IVLII CÆSARIS. Plinius libro 18. cap. 31.

Anno Christi 768. PIPINVS CAROLI MARTELLI filius Franciæ Rex, profligato in Aquitania VVeifario apud Petragoricos, post insignem victoriam reuersurus, in itinere morbo correptus, & æger Lutetiam delatus obijt, relictis CAROLO Magno & altero CAROLO filijs.

MAGNVS Dux Saxoniæ, Ducis Augusti Filius secundus, nascitur Dresdæ dimidia hora ante quartam matutinam Anno 1555. Mortuus tabe 6. Nouembris Anno 1558.

Philippus Theophrastus Paracelsus ab Hohenheim, autor nouæ Medicinæ, absurdæ ac præstigiatricis, moritur Salisburgi, anno 1541.

ANGELVS POLITIANVS moritur anno 1509.

HIERONYMVS CARDANVS Mediolanensis, Medicus & Mathematicus excellens nascitur anno 1501. besse horæ ¼ sextam Pomeridianam.

ΣΤΑΧΥΣ Spica VIRGINIS vesperi occidit.

MAIMAKTHPIΩN. # XXV. SEPTEM.

VII. CAL. OCTOB.

ΘΩΘ.

Absolutis mœnibus Ierosolymorum per NEHEMIAM, maxima celebritate Iudæi festum hunc diem egerunt vicesimo anno regni Artaxerxis, post absolutam Templi instaurationem anno 71. post solutam captiuitatem, hoc est, à primo anno Cyri, anno 92. quo spacio Ierosolymis vt in pago aperto habitauerant in medio infensarum gentium, solius Dei præsidio defensi. Annis ante Christum natum 444. Nehemiæ 6.

CLEMENS VII. Pontifex Rom. veneno extinguitur Anno 1534.

VALERIVS CORDVS EVRICII Poëtæ filius moritur Romæ anno Christi 1544. agens annum ætatis 29. cuius sepulchro, quod est in templo S. Mariæ de anima regione Parionis, amici hoc distichon inscripserunt:

Ingenio superest Cordus, mens ipsa recepta est
Cœlo, quod terræ est, maxima Roma tenet.

P. Sempronius Sophus COS. de AEquis triumphauit anno vrb. 449.

M. Fuluius Pœtinus COS. de Samnitibus Nequinatibusq; anno vrb. 454.

M. Valerius Messæla Coruinus Procos. ex Gallia anno vrb. 726. cuius triumphum celebrat cultissimo suo carmine Tibullus.

PHILIPPVS Hispaniarum Rex, MAXIMILIANI Filius, moritur in vrbe Burgarum anno 1506. ætatis 28. quarto climacterico, relinquens duos filios, CAROLVM Quintum sex annorum, & FERDINANDVM trium, qui ambo deinceps ad Imperij fastigium peruenerunt.

IOACHIMVS MOLLERVS patricius Hamburgensis, I. V. D. & Ducum Luneburgensium Consiliarius nascitur anno Christi 1521.

CASPAR NVTZEL Patritius & Duumuir Reipublicæ Noriberg: 20. liberorum Pater ex vna coniuge, moritur 1529. quinquagenarius.

XXVI. SEPTEM. אלול VI.

VI. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

VIENNAM AVSTRIÆ VRBEM SOLYMANNVS TVRCICVS IMPERATOR obsidione cinxit, adductis secum 140. millibus Turcarum. Animum Christi ostendunt hi versiculi: M. D. XXIX.

Cæsar in Italiam quo venit CAROLVS anno,
Cincta est Riphæis nostra Vienna Getis.

Nicolaus Valla, Lælij filius, qui Iliadem Homeri & Hesiodum adolescens carmine Heroico vertit, moritur Romæ in primo iuuentutis flore, anno 1473.

VVOLFGANGVS PALATINVS Rheni, LVDOVICI Bipontini filius, nascitur ex filia VVILHELMI Landgrauij Hassiæ anno 1526. paulò ante horam 7. Vespertinam.

MAIMAKTHPIΩN. # XXVII. SEPTE.

V. CAL. OCTOB. ΘΩΘ.

CASIMIRVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS, FRIDERICI quinti, & Sophiæ filiæ Casimiri tertij Regis Poloniæ filius, natus est anno 1481. minutis 21. post sextam matutinam: mortuus est hoc die Budæ ex dyssenteria, anno 1527. anno ætatis 46.

D. Iunius Pera I. COS. triumphauit de Sassinatibus anno vrb. 487.

XXVIII. SEPTEM. אֱלוּל VI.

IIII. CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

Diuus VVENCESLAVS Dux Boiemiæ martyrio affectus tempore Ottonis I. Impera. circa 970. annum Christi.

In Vigilia Michaëlis anno salutis 1395. annis 49. ante cladem Varnensem, PVGNA AD NICOPOLIN COMMISSA EST CVM TVRCIS, in qua BAIAZETES I. Gallos temerè insecutos hostem arte circumuentos, ad vnum omnes oppressit, quæ strages Gallorum ita terruit SIGISMVNDVM Regem, & reliquum exercitum Christianorum, vt difficili fuga dilapsi nostri, ægrè euaserint, plurimis ab insequente hoste interfectis, & Iohanne Burgundiæ duce, Caroli V. Atauo capto.

VVENCESLAVS dictus Ignauus CAROLI IIII. Imperatoris F. qui patri in Imperio succesßit, hoc die natus est Norибergæ extincta matre in partu, qui aquam Baptismi stercore suo fœdauit, & dum aqua Baptismi calesit, incenditur domus Pastoris ad D. Sebaldum anno Christi 1361. Annales Noribergenses ad 17. diem Martij referunt.

ADOLPHVS CLARENBACH natus in comitatu Bergensi in oppido Imperiali Lenep, vir doctus & pius, qui fuerat in schola Osnaburgensi, vt vocant, Conrector, Coloniæ ob suspicionem hæreseos captus, & post confessionem constantem sinceræ doctrinæ Apostolicæ & improbationem errorum Papistarum, ab inquisitoribus Hæreticæ prauitatis hæreseos damnatus, & ad supplicium ignis Magistratui traditus, pie & constanter hoc die pro gloria Christi mortuus est, vt testatur eius historia edita anno 1529.

MAIMAKTHPIΩN. ΘΩΘ.

XXIX. SEPTEM.

III. CAL. OCTOB.

MICHAEL.

L. Furius Camillus II. COS. de Pedaneis & Tiburtibus triumphum egit anno vrb. 415.

RODOLPHVS HABSPVRGENSIS, cuius posteri adhuc Imperium tenent, dum Basileam obsidet, Imperator absens eligitur anno Christi 1273.

FRIDERICVS cognomine pulcher, Austriæ Dux ALBERTI primi filius, à LVDOVICO Bauaro Imp. magno prælio victus, inter Mulbergum & Oetingam, capitur ab Eberharto à Mosbach, equite Francico, & traditus FRIDERICO Burggrauio Noribergensi, ab eo deducitur ad victorem LVDOVICVM post natum Christum 1325. Alij ad Vigiliam sancti Michaëlis referunt.

LOTHARIVS Imperator LVDOVICI Pij filius, cum Imperium vnà cum Italia filio LVDOVICO, cæteris verò filijs LOTHARIO Austriam & Lotharingiam, CAROLO verò Galliæ Narbonensis regnum tradidisset, abdens se in Monasterium Prumiense, hoc die obijt anno Christi 855. Imperij 16.

VVILHELMVS Dux Bauariæ, Ducis ALBERTI filius primogenitus ex Imperatoris FERDINANDI filia nascitur anno Christi 1548.

Anno 1513. natus est Nordlingæ Dominus Franciscus Straus (Strutio) Pastor Ecclesiæ Salcensis in Thuringia.

XXX. SEPTEM. אֱלוּל VI.

PRIDIE CAL. OCTOB. ΓΟΡΠΙΑΪΟΣ.

DIVVS HIERONYMVS *obijt anno Christi 422. ætatis 91.*

Prid. Cal. Octobris NATVM ESSE POMPEIVM MAGNVM, *scribit Plinius lib. 37. cap. 2. Natus est autem eodem anno, quo M. Cicero, scilicet anno vrb. 648. ante Christi natalem 103. quod ex Plutarcho facilè colligi potest.*

Eodem die natali suo, M. PISONE, M. MESSALA *Cos. altero anno post consulatum Ciceronis, idem* POMPEIVS *inchoans annum ætatis 46. triumphum egit, cùm de alijs nationibus victis, tùm etiam de* IVDÆIS *subactis, & expugnatis* IEROSOLYMIS, *vbi duxit secum in Triumpho* TIGRANEM *filium, &* ARISTOBVLVM *Regem Iudæorum, eiusq; filium* ANTIGONVM, *& populo monstrauit integras arbusculas Balsami. Plinius lib. 7. cap. 27.*

C. Mœnius COS. *de Antiatibus, Lauinis, Veliternis triumphum egit anno vrb. 415.*

Inter Cumas & Puteolos terræmotu mons nouus factus est in lata planitie, sub quo monte obrutum perijt oppidum Tripergula, Theatrum, thermæ multæ, villa Ciceronis, & pars maris & lacus Auerni in continentem versa est anno Christi 1538.

OTTO *Episcopus Bombergensis Comes de Andechs, qui Pomeraniam ad fidem* CHRISTI *conuertit, anno 1104. Bombergæ moritur septuagenarius Anno Christi 1139.*

OCTOBER.

תשרי Thisri.

SEPTIMVS.

Qui vocatur & אֵתָנִים *3. Reg. 8.*

ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

SVIDAS: Ὑπερβερεταῖος ὁ μὲν καὶ μακεδόνας ὁ ἐκτώβελος ἐπὶ πεντεκαίδεκα. Ὑπερβερεταῖος, ὅτι τῶν ὑστεροχρονίων εἴρηται. Παρὰ γὰρ Μακεδόσιν ὁ πλοῦταιος μὲν ὃ ἐνιαυτὸς ὑπερβερεταῖος δὲ μὴν ἑορτή.

Plutarch. de Isíde, pag. 350. Καὶ γὰρ Ἀθηναίοις νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΟΙΣ, χαμαὶ καθήμεναι. ἔστι δὲ ὁ μὲν ὄγδοος τοῦ πυανεψιῶνος ἀφ' οὗ ΘΗΣΕΥΣ ἐκ Κρήτης ἐπανῆλθε· τὸν δὲ πρῶτον ἐνιαυτὸν ἐκ τῆς Κρήτης ἐπανελθὼν ἐν τῇ Ἀττικῇ διέτριβε μετὰ τῶν ἡβώντων, ἐπειδὴ τὰ περὶ τὸν Μινώταυρον ἐτελέσθη. ὁ δὲ δεύτερος ἐνιαυτὸς ἐπὶ τῷ πρώτῳ ἐστὶν ἐν ᾧ τὴν ἐπὶ τῷ Μινωταύρῳ συμφορὰν ἐπὶ τῷ ΠΥΑΝΕΨΙΩΝΙ ἐπιτελοῦσιν. ἐν δὲ τῷ πυανεψιῶνι ἡμέρας ἐστὶν ἃς τοῦ μὲν πρώτου καλοῦσι ΔΑΜΑΤΡΙΟΝ, τοῦ δὲ δευτέρου ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ ἑορτὴ Διωνύσου καὶ τὸν Πυανεψιῶνα δὲ Ἀθηναῖοι, βοιωτοὶ ΔΑΜΑΤΡΙΩΝα καλοῦσι βασιλέα·

I. OCTOBRIS. תִּשְׁרִי VII.

CALENDAE. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

יוֹם תְּרוּעָה

Prima die Mensis VII. *diuino mandato celebrabatur apud Iudæos* FESTVM TVBARVM, *quod Hebræi vocant* MEMORIAM CLANGORIS, *qua dicunt commonefieri populum de liberatione* ISAAC *ab immolatione. Leuit. 23.*

A recentibus Iudæis vocatur & celebratur hic dies רֹאשׁ הַשָּׁנָה *initium noui anni, qui & primos huius mensis dies decem vocant* עֲשֶׂרֶת יְמֵי תְשׁוּבָה *id est, decem dies pœnitentiæ, quibus dant eleemosynas multas, & alia faciunt, quibus putant se placaturos Dei iram.*

Anno 45. ante natum Christum GN. POMPEIVS MAGNVS *victus ad* PHARSALVM *Thessaliæ vrbem à* C. CÆSARE, *& amisso exercitu cum paucis in AEgyptum profugiens ad Regem Ptolemæum iuuenem, cuius patrem antea regno pulsum ipse Senatui Romano commendauerat, & effecerat, vt in regnum Rex exul restitueretur: iussu Filij ingratissimi ad littus AEgypti non procul à Iudæa, in conspectu coniugis Corneliæ obtruncatur, agens annum ætatis 59. postridie natalis sui, vt ait Plutarchus in vita Pompeij. Etsi idem in Camillo dicit, ipso die natali suo Pompeium occisum esse.*

C. Sempronius Tutidanus COS. *triumphum egit de Iapidibus anno vrb. 624.*

GEORGIVS RORARIVS *nascitur anno 1492.*

IOHANNES STVRMIVS *à Schleiden studiorum in Schola Argentoratensi gubernator, nascitur anno 1507. hora secunda post meridiem.*

GEORGIVS KOST *Halensis I. V. D. natus est Anno 1527. dimidia hora post 8. matutinam.*

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. II. OCTOB.

ΦΑΩΦΙ. VI. NONAS.

Ierosolyma à Christianis Regibus octo & octoginta annos possessa, ipsis inter se dissidentibus, in Saracenorum potestatem redijt. Anno Christi 1187. sub Imperatore Friderico Barbarossa.

PHILIPPVS LVDOVICVS *Palatinus Rheni, Ducis* VVOLFGANGI *Bipontini filius nascitur anno 1547. dimidia hora post vndecimam noctis sequentis.*

Anno 1550. Vrbs Magdeburgensis à Mauricij Ducis Sax. Electoris, Alberti March. Brand. Georgij Ducis Megapolensis, & auxiliariorum exercitu, iussu Caroli V. obsidione primum cincta est.

III. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

V. NONAS. ΤΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

צוֹם גְּדַלְיָה Ieiunium, quo die Iudæi lugent interitum GODOLIÆ relicti in Iudæa à Nabuzardan, & interfecti per insidias ab Ismaële quodam nato ex regia familia, quæ cædes præbuit causam nouæ migrationi Iudæis in AEgyptum, quam tamen IEREMIAS dissuasit. Ierem 41. 42. 4. Reg. vlt. 9.

Anno 1552. FRIDERICVS Marchio Brandeburgensis, Archiepiscopus Magdeburgensis &c. IOACHIMI II. filius secundus ex Magdalena Filia Georgij Ducis Saxoniæ, cum eodem anno die 19. Martij solenni pompa esset introductus ad Archiepiscopatum, mortuus est Halberstadij, nondum completis 22. annis ætatis.

ΣΤΑΧΥΣ Spica VIRGINIS mane oritur.

IIII. OCTOB. ΠΤΑΝΕΨΙΩΝ.

ΦΑΩΦΙ. IIII. NONAS.

C. Aquilius Florus Procos. de Pœnis triumphum egit anno vrb. 495.

C. Lutatius Catulus Procos. de Pœnis & Siculis naualem anno vrb. 512.

FRANCISCVS Monachorum funigerorum pater obijt anno 1226. post biennium à Gregorio IX. inter Diuos relatus.

VVESSELVS GANSFORTIVS Phrisius, excellens Theologus, mortuus est anno 1490. sepultus in oppido Groninga, quo anno etiam obijt RODOLPHVS AGRICOLA.

EOBANVS HESSVS Poëta clarissimus obijt Marburgi anno 1540. ætatis 52. qui hoc disticho indicatur:

Ducite Thespiades fletus, Elegeia luge,
Hoc Hessus saxo gloria vestra iacet.

LVCAS CRANACH Lucæ filius, excellens pictor, nascitur VViteбergæ Anno 1515.

Anno 1512. Frater MARTINVS LVTHERVS Artium Magister, Licentiam Doctorum Theologiæ adeptus est, sub Decano Doctore Andrea Bodenstein Carolostadio, Archidiacono collegij omnium Sanctorum.

V. OCTOB. תשרי VII.

III. NONAS. ὑπερβερεταῖος.

CONSTANTIVS CONSTANTINI Magni filius Imp. Mopsocreni ad radices Tauri montis, dum IVLIANO recens à militibus suis subuecto ad dignitatem Imperatoriam infesto cum exercitu occurrere conatur, acuta febri correptus moritur, anno Christi 364.

HENRICVS III. IMPERATOR ROMANVS, filius CVNRADI secundi Imp. cognominatus NIGER, Goßlariæ moritur anno Christi 1056. ætatis 39. Imperij 17. anno, qui cùm alia præclarè gesßit in Imperio, tùm etiam tulit legem, NE PONTIFEX ROMANVS ELIGERETVR SINE IMPERATORIS AVTORITATE, quam legem vt abolerent Pontifices, horrenda bella concitarunt in Germania contra Imperatores, secutos hunc NIGRVM, vereq; dici potest, Romani Imperij potentiam instauratam per Carolum magnum, & insigniter auctam per illius posteros & Otthones, cum hoc Henrico mortuo denuò concidisse. Sepultus est Spiræ iuxta monumentum patris. Marmori tamen sepulcrali inscriptum est, quod sit mortuus Nonis, hoc est, 7. die Octobris.

M. Fuluius Curuus COS. de Samnitibus triumphum egit anno vrb. 448.

M. Fabius Pictor I. COS. de Saßinatibus anno vrb. 487.

VI. OCTOB.

πτανεψιών. φαωφί. PRIDIE NONAS.

Hoc die cladem ingentem acceperunt Romani anno vrbis 650. biennio post natum Ciceronem, quando à Cimbris C. Manlius & Q. Seruilius Cepio Proconsules victi prælio castrisq; binis exuti, octoginta millia militum, Calonum verò & lixarum 40. millia amiserunt.

Post annos 34. eodem die egregiam victoriam adepti sunt, quando L. Lucullus Mithridatis & Tigranis Armeniæ Regis immensas copias fudit, Anno vrb. 684. Plutarch. in Lucullo: & Camillo.

Q. Valerius Falto (mendosè, alij Flaccus legunt) Propr. ex Sicilia nauale triumphum egit anno vrb. 512.

Anno Christi 878. CAROLVS CALVVS LVDOVICI PII filius natu minimus, Galliarum Rex, à Iohanne IX. Pontifice Rom. creatus Imperator, cùm reditum ex Italia in Galliam maturaret, Mantuæ morbo correptus, & vt creditur, à Sedechia quodam Iudæo medico intoxicatus obijt, sepultus Vercellis, anno sequente inde translatus in Franciam ad ædem Dionysij.

VII. OCTOB.

תִּשְׁרִי VII.

NONAE. ὑΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

HECTOR Dux Saxoniæ, Ducis AVGVSTI ELECTORIS quintus filius, nascitur Dresdæ anno 1558. moritur die 4. April. 1560.

Anno 1513 RODOLPHVS princeps Anhaldinus VVoldemari frater, Principis VVOLFGANGI patruus, ducens exercitum Maximiliani Imp: in bello Veneto, non procul à Vincentia circumuentus copijs Venetorũ, ita vt elabi non posse putaretur, cum Bartolemæus Liuianus, Dux venetorum, euocasset ciues suos Venetijs ad spectandam lanienam Germanorum, magna virtute adortus circumsidentes Venetos, non solum incolumes suos eduxit, sed etiam ad nouem millia Venetorum occidit.

M. Iohan. Matheſius Rochlicenſis, vir pius, doctus, & facundus Eccleſiæ Dei in Valle Ioachimica paſtor, cum Euangelium enarraſſet de reſuſcitato filio viduæ in Nain, apoplexia moritur, 1565. ætatis ſuæ 61. cuius Epitaph. talę:

Securus recubo hic mundi pertæſus iniqui,
Et didici & docui vulnera CHRISTE tua.

VIII. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. VIII. IDVS.

ΦΑΩΦΟΡΙΑ.

Octauo die Πυανεψιῶνος Athenis celebrata ſunt quotannis ΠΥΑΝΕΨΙΑ feſtum inſtitutum in memoriam fœlicis reditus THESEI, qui interfecto Minotauro in Inſula Creta, & liberatis Athenis à difficili tributo, ſecum ex Creta obſides Athenienſium liberos incolumes reducens, HOC DIE VRBEM INGRESSVS EST.

Eodem die, vt videtur velle Plutarchus, celebrata ſunt Athenis ΩΣΧΟΦΟΡΙΑ, vbi pueri geſtantes ramum oleæ onuſtum vuis, ficis, & alijs fructibus, qui dicebatur ΕἸΡΕΣΙΩΝΗ, circumibant ad ianuas locupletum, petentes ſibi dari munuſcula, propemodum vt mos eſt circa natalem Domini pueris in noſtra patria. Carmen autem belliſimum, quod pueri ad ædes duitum canere ſunt ſoliti, cuius ſententia congruit ferè cum noſtratium puerorum cantionibus, habes apud Herodotum, in vita Homeri, quod vocatur ſimiliter εἰρεσιώνη.

CAROLVS Caluus Galliarum rex, incitatus à Romano Pontifice, vt Imperium à Germanis ad Gallos transferret, magnoq; cum exercitu contra LVDOVICI Germanici fratris ſui filios profectus, commiſſo prælio non procul ab Andernaco vincitur, amiſſaq; maxima exercitus & impedimentorum parte, cum vxore victna partui ægrè euaſit, Anno Chriſti 877.

Anno 1550. Tyberis circa horam noctis vndecimam ſubita exundatione excurrens, ingenti damno vrbem Romam affecit.

ALEXANDER Dux Saxoniæ AVGVSTI Electoris filius debilitatus diarrœa, hoc die piè in Chriſto obdormiuit Anno 1565. Dreſdæ, mane intra 7. & 8. Anno ætatis 12.

IX. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

VII. IDVS. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

DIONYSIVS,

Pauli Apostoli auditor apud Parisios propter Euangelij prædicationem, iussu Romani præsidis capite truncatur, Anno Christi 69.

עֶרֶבּוֹם הַכִּפּוּרִים׃

Vespera seu vigilia diei expiationis.

HYPERIDES orator Athenensis collega DEMOSTHENIS, abreptus ex Templo Neptuni, & perductus Corinthum ad ANTIPATRVM, cùm quæstionibus subiectus excruciaretur, linguam sibi mordicus præcisam expuit, ne quid posset prodere arcanorum ciuitatis suæ, atq; ita inter tormenta extinctus est 9. die Πυανεψιῶνος. *Plutarch. in vitis Rhetorum.*

MAXIMILIANVS Imperator vicit memorabili prælio Venetos ad Vincentiam anno 1513.

IVSTVS IONAS Theologiæ Doctor, Collegij VVitebergensis præpositus, & LVTHERI fidelis οἰκέτης: Deinde Ecclesiæ Halensis gubernator, Postremo Pastor Ecclesiæ Eisfeldensis, & Francicarum Ecclesiarum in principatu Coburgensi inspector, placidè diem suum obijt anno 1555.

Anno 1541 natus est Generosus CAROLVS AB VNGNAD, Baro in Sonneck, Domini IOHANNIS Filius, dimidia hora ante secundam matutinam in poli elevatione 46.

Nebulosa sequens aculeum SCORPIONIS cum Sole occidit.

X. OCTOBRIS

ΠΤΑΝΕΨΙΩΝ. ΦΑΩΦΙ. VI. IDVS.

יוֹם כִּפּוּר

FESTVM EXPIATIONIS quotannis decimo die septimi mensis celebratum est, quo vnico die mandauit Deus ieunium seruari, quod strictissimè præstant Iudæi. Leuit. 23.

XI. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

V. IDVS. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

Primus conflictus Tigurinis cum quinq; Helueticis pagis fuit, in quo occisus est VLRICVS ZVINGLIVS, anno quem hi versiculi indicant:

Occubuit patrio bellator Cinglius ense,
Et pressa est armis gens populosa suis.

Eum sub finem Nouembris secutus est IOHANNES OECOLAMPADIVS anno eodem, ætatis anno 49. Climacterico septimo, Zuuinglij amantissimus, cuius mortem lugens morbum auxisse & mortem maturasse creditur.

LVDOVICVS Bauarus Imperator Romanus, vir fortis & amans pietatis, à Iohanne XXII. & Clemente VI. Episcopis Romanis crudeliter & nefariè habitus, ex venatione rediens Apoplexia correptus ex equo delabitur ac paulò post moritur anno Christi 1347. anno Imperij 33.

Anno Christi 371. Imperantibus Valentiniano & Valente fratribus, terræmotus maximus subuertit NICÆAM, qui & fuit & tunc quoq; existimatus est esse signum horrendæ illius persecutionis, quam exercuit in piè sentientes de Filio Dei Valens Imp. & Episcopi Arij veneno infecti.

Anno 1557. obijt pia & erga inopes admodum benefica matrona KATHARINA nata ex Crappiorum familia Domini PHILIPPI Melanthonis coniunx, qui tunc aberat in colloquio Wormaciensi.

XII. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. IIII. IDVS.

ΦΑΩΦΙ.

L. Sempronius Atratinus Procos. ex Africa triumphum reportauit anno vrb. 732.

Anno 1520. CAROLVS V. Archidux Austriæ Hispaniarum Rex, PHILIPPI filius, ex Hispania in Angliam ac inde in Germaniam inferiorem profectus, hoc die AQVISGRANI in Regem & Cæsarem Imperij coronatus est.

EDVARDVS VI. Angliæ Rex, HENRICI VIII. ex IOHANNA SEMERIA Anglicana filius γαστρότμητος, nascitur anno 1537. sedecim minutis post primam horam matutinam proximam mediæ nocti, Londini.

Anno 1576. MAXIMILIANVS hūius nominis secundus Imp. Rom. Imperatoris Ferdinandi primogenitus filius, placidè in Domino obdormiuit Ratisbonæ in Comitijs, ipso die Maximiliani, hoc est, 12 Octobris, anno ætatis suæ sexto supra septimum.

XIII. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

III. IDVS. Ὑ ΠΕΡΒΕΡΕΤΑΪΟΣ.

CLAVDIVS CÆSAR ab AGRIPPINA Coniuge, matre Neronis veneno necatur anno 64. ætatis, Anno Christi 56.

Q. Fabius Maximus COS. ex Hispania triumphum egit anno vrb. 709.

C. Norbanus Flaccus Procos. ex Hispania anno vrb. 719.

M. Cicero Imperator salutatus apud Issum, quo in loco Darius ab Alexandro superatus est, vt scribit ipse ad Atticum. Anno vrb. 703.

PHILIPPVS MELANTHON, à Rectore Heidelbergensis Academiæ receptus & inscriptus est in numerum Scholasticorum, Anno Christi 1509. ætatis 12.

CLAVDIA LVDOVICI XII. Regis Galliarum filia ex Anna Britannica, postea nupta Francisco Regi Franciæ, patri Henrici II. nata est Anno Christi 1499.

XIIII. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. PRIDIE IDVS.

ΦΑΩΦΙ.

AVGVSTVS Dux Saxoniæ ELECTOR frater MAVRICII ELECTORIS, nuptias celebrauit TORGÆ cum filia CHRISTIANI Regis Daniæ &c. Anno 1548.

Anno 1516. natus est VViteberge MAXIMILIANVS MORLIN, S. Theologiæ Doctor hora meridiana 11.

XV. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

IDVS. ὑΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

סוכות א ΣΚΗΝΟΠΗΓΙΑ.

Decimo quinto die VII. mensis iuxta mandatum Dei inchoabatur festum TABERNACVLORVM, *quod durabat VII. continuos dies, vt repeteretur memoria diuinæ protectionis populi in deserto. Leuit. 23. Iohan. 7.*

PVBLIVS VIRGILIVS MARO *nascitur Idibus Octobris Mantuæ, Pompeio & Crasso* COSS. *anno vrbis 684. cum Cicero egit ætatis annum 37. ante Christum natum anno 67.*

Hoc die Turcarum Imperator Solymannus frustra aliquoties, oppugnata vrbe Vienna, fortißimè vim hostilem propulsantibus germanicis militibus, quorum dux fuit PHILIPPVS COMES PALATINVS AD RHENVM, *exercitum abduxit, amißis ibi amplius 80. millibus Turcarum, qui partim in oppugnationibus & velitationibus, partim frigore & fame extincti sunt, Anno 1529.*

L. Papirius Cursor dictator de Samnitibus triumphum egit anno vrb. 444.

Sacrificium Romæ pro frugibus: Equus, qui OCTOBER *appellabatur, capite panibus redimito, immolabatur in campo Martio. Sex. Pompeius.*

HENRICVS *Comes Nassaensis, Comitis* VVILHELMI *senioris filius Quintus, nascitur Dillenbergæ quadrante horæ ante tertiam matutinam.*

Anno 1564. natus est IVLIO *Duci Brunsuicensi filius primogenitus,* HENRICVS IVLIVS *hora V. matutina.*

Anno 1576. Rodolphus Archidux Austriæ, Romanor. ℞ Bohem. & Hung. R̃ Maximiliani 2 Imp. filius hoc die renunciatur Imperator Romanus Ratisbonæ, tristo nimirum post Patris mortem.

XVI. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. XVII. CAL. NOVEMB.

ΦΑΩΦΙ.

GALLVS.

סכות ב:

SECVNDVS DIES TABERNACVLORVM.

Decima sexta Πυανεψιῶνος *celebratur per triduum Athenis festum appellatum* ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

Eo die DEMOSTHENES *iterum ex patria eiectus & absens capitis damnatus, cum ab* ANTIPATRO *Rege Macedonum quæreretur ad supplicium, nec se religione Templi Neptuni, in quod confugerat, tueri posset, vltrò hausto veneno, quod inclusum calamo scriptorio secum circumtulisse dicitur, inter manus militum Macedonicorum expirauit, sexagenarius, anno ante Christum natum 322. Plutarch.* Κατέφρεψε δὲ ἕκτῃ ἱστὰμένου δέκα τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΩΝ ἡμέραν ἄγουσιν περὶ τὴν θεὸν νηστεύσαντες αἱ γυναῖκες.

Eodem die ARX THEBANA CADMEA *contra fœdus per proditionem à Spartano quodam occupata est, quod factum causam præbuit bello funesto, quo vires Spartanæ ciuitatis fractæ sunt, cæsis Lacedæmonijs ad* LEVCTRA, *Plutarch. in Pelopida & Agesilao.*

LVCAS CRANACH *Senior pictor excellens, & Vir sapiens, moritur Vinariæ, Anno Christi 1553 ætatis 81.*

Extrema in cauda LEONIS cum Sole occidit.

XVII. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

XVI. CAL. OCTOB. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

חוֹרֶל חַמִּשָּׁר בְּסִכּוֹת א׃

TERTIVS DIES TABERNACVLORVM.

Hoc demum die, qui fuit centesimus quinquagesimus post initium diluuij, Deus recordatus est NOHÆ, *& adduxit ventum super terram, & imminutæ sunt aquæ, & clausi fontes abyssi & Catarractæ cœli. Eoq; die quieuit Arca in montibus* ARARAT, *vbi stetit immota ad 74. diem, antequam apparuerunt aliorum montium humiliorum cacumina. Gen. 8.*

Anno 1552. in vrbe Borussiæ Regiomonte obijt ANDREAS OSIANDER, *nondum completo ætatis anno 54.*

Anno 1553. pius Princeps ac Dominus GEORGIVS *princeps in* ANHALT *&c. placida morte obijt Dessauiæ in complexu fratris* IOACHIMI *principis in Anhalt &c.*

1509. Philippus Cominæus eques Flandricus, qui duorum Regum Galliæ Ludouici XI. eiusq; filij Caroli VIII. historias prudenter descripsit lingua Gallica, obijt in Piconib. ætatis anno 63.

☞ *AEneas Syluius Senensis, Doctrina excellens orator Imperatoris Friderici III. postea Pontifex Romanus, Pius secundus dictus, nascitur prope Senas Anno 1405.*

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. ΦΑΩΦΙ.

XVIII. OCTOB.

XV. CAL. NOVEMB.

חוֹרֶל חַמִּשָּׁר בְּסִכּוֹת ב׃

LVCAS.

QVARTVS DIES TABERNACVLORVM.

Hoc dies insignitus est supplicio iustissimo crudelissimi Sycophantæ in aula Tiberij Cæsaris, AElij SEIANI, *qui cum* GERMANICVM *cum vniuersa sobole acerbissimè fuisset persecutus, tandem patefactis sceleribus, vnco ad scalas Gemonias tractus, & diu excruciatus perijt, anno Christi 34.*

Eodem die biennio post Seiani supplicium, mortua est in tristissimo exilio præstantissima fœmina AGRIPPINA, *fœcundissima coniunx* GERMANICI, *quæ post mariti & liberorum tristes casus, hoc solatium habuit, quod prius hostem suæ familiæ* SEIANVM *dignas scelerum pœnas luisse vidit.*

Hoc die ACADEMIA VVITEBERGENSIS *pompa celebri introducta est in oppidum VVitebergam, situm ad* ALBIM *in antiqua* SENONVM *sede, & ab eo die lectiones publicæ inchoatæ sunt à Professoribus, accersitis liberalitate* FRIDERICI *Ducis Saxoniæ Electoris, anno Christi 1502. Fuitq; primus Rector Academiæ* MARTINVS POLICH FRANCVS, *natus in oppido* MELLERSTAD, *artium & Medicinæ Doctor. Vtq; hic natalis Academiæ quotannis celebraretur, constitutum est, ut eodem die hyberni semestris Rector & Decanus crearentur.*

Idem dies Lucæ initium fecit Academiæ GRIPSVVALDIANÆ *anno 1457. cuius primus Rector fuit* HENNINGVS RVBENAVS *I. V. Doctor & ciuitatis primarius Senator.*

Hoc die cantata est Missa in templo S. Spiritus pro fœlici auspicio Academiæ HEIDELBERGENSIS *anno 1387. & postridie lectiones publicæ inceptæ sunt. Est ergo Heidelbergensis Academia vetustior VVitebergensi annis 115. sicut Gripsuualdensis annis 45.*

Hoc die Imperium Rom. inter duos amitinos FRIDERICVM *Austriacum &* LVDOVICVM *Bauarum simul electos, quasi diuisum, & illorum conflictibus postea duriter quassatum & dilaceratum est anno 1314.*

D. CASPAR HEDIO *præcipuus Argentinensis Ecclesiæ Minister obijt anno 1552.*

☞

XIX. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

XIIII. CAL. NOVEMB. Ὑ ΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

חוֹל הַמּוֹעֵד בְּסֻכּוֹת ג

QVINTVS DIES TABERNACVLORVM.

DEMOCRITVS Philosophus, iam confectus senio, & grauiter decumbens, cùm à sorore vnicâ curaretur, eâq; incidente festo Thesmophoriorum, ægrè ferret, se propter instantem mortem fratris à festo abstrahi, quod magna superstitione celebrabatur à mulieribus: iussit sororem bono animo esse, & ad festum accedere, modò vt quotidie calidos ipsi panes adferret, quos ipse postea ad nares admouens, odore illorum vitam per illud triduum remoratus est, & reuersa sorore post finitum festum consultò non amplius vtens calido pane, animam exhalauit, anno ætatis nono supra centesimum. Laërtius pag. 468.

Anno 1512. MARTINVS LVTHERVS in Doctorem Theologiæ à D. Andreæ Bodenstein Carlstadio, publice renunciatus est VViteberga in templo arcis.

Anno 1567. mane inter 1 & 2. horam noctis 24. horis post Eclipsin ☾. natus est Ambergæ princeps FRIDERICVS PHILIPPVS, Palatini LVDOVICI filius, Friderici Electoris nepos.

Anno 1568. Vratislauiæ piè obijt D. Iohan. Aurifaber, S. Theologiæ Doctor & pastor Ecclesiæ Vratislauiensis.

XX. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. XIII. CAL. NOVEMB.

ΦΑΩΦΙ.

חוֹל הַמּוֹעֵד בְּסֻכּוֹת ד

SEXTVS DIES TABERNACVLORVM.

THOMAS LINACER Medicus, Anglus, qui Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, & Cantabrigiæ vnam in perpetuum stabiliuit, Londini collegium Medicorum fieri sua industria curauit, multis scriptis & eruditissimis versionibus clarus, moritur Londini Anno 1524. ætatis quarto & sexagesimo.

Anno 1140. Henricus I. superbus, quintus Elector Saxoniæ, siue ex veneno, siue dolore animi extinctus Quedelburgi.

Caspar Eberhardus Niemontanus, Sacræ theolo. siue Doctor, et Ecclesiæ Wittebergensis Pastor, hoc die moritur Wittenbergæ Hora nostris secunda, Anno M. D. LXXV. ætatis suæ 52

XXI. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

XII. CAL. NOVEMB. ΤΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

VRSVLA.

חוֹשַׁעְנָה רַבָּה

SEPTIMVS DIES TABERNACVLORVM.

FESTVM PALMARVM grande, quo canunt Letaniam Iudæi, cuius formam exposuit Andreas Osiander in annotationibus, quas adiecit Harmoniæ Euangelicæ lib. 3. cap. 26.

P. Seruilius Vacia prorę. triumphum egit anno vrb. 665.

IOACHIMVS ERNESTVS Princeps in Anhalt & Ascaniæ, principis IOHANNIS filius secundus, nascitur anno 1536. dimidia hora post octauam antemeridianam.

Henricus Dux Brunsuicensis, collecto firmissimo equitatu, vt amissam ditionem suam recuperaret, hoc die PHILIPPO Landgrauio Hassiæ ducenti exercitum confœderatorum Smalcaldensium, antequam signa concurrerent, sese vna cum filio VICTORE, & exercitu dedidit, Anno 1545.

Lucida Chelæ Borealis seu Libræ mane oritur.

XXII. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. XI. CAL. NOVEMB.

ΦΑΩΦΙ.

חַג עֲצֶרֶת׃

Festum retentionis seu collectæ, OCTAVVS DIES TABERNACVLORVM, post cuius meridiem ex tabernaculis exeuntes Iudæi redeunt in domos.

Anno 741. fortitudine & sapientia præstans heros CAROLVS MARTELLVS PIPINI pater, Caroli Magni auus, Carisiaci prope Isaram obijt, qui etsi magnam Galliæ partem teneret, nunquam tamen regium titulum aut insignia vsurpare voluit, sepultus regio more ad Dionysij.

Anno 1511. nascitur in celebri Turingiæ oppido SALVELDIA M. ERASMVS REINHOLDVS Mathematicus excellens mane, dimidia hora ante secundam.

CVNRADVS MAVSER Noribergensis, I. V. Licentiatus & Professor in academia VVitebergensi mortuus est anno 1548.

Albertus Dux Brunsuicensis cum in conflictu cum Cæsarianis equitibus ad oppidum VVemdingen vulnus accepisset, V. die huius mensis hoc die ex eo vulnere mortuus est, Anno 1546. sepultus Nordlingæ.

Lucida Chelæ australis seu Libræ, mane oritur.
PLEIADES vesperi oriuntur.

XXIII. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

X. CAL. NOVEMB. Ὑ ΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

שִׂמְחַת תּוֹרָה :

Lætitia legis, qua exultant Iudæi, quod hoc die in Synagogis finitur lectio, quinq; librorum Moysi, & inchoatur primus liber Moysi denuò, legiturq; prima סִדְרָה *Eaq; nocte singuli accendunt suos cereos lychnos.*

Hoc die CAROLVS V. *Imp. cum classe ingente fœliciter ad littus* ALGIERÆ *vrbis Africæ maritimæ appulit, vbi cùm exposuisset exercitum habentem vltra 22. millia peditum, Equitum verò supra mille, tertio verò die post, fœda tempestate coorta cum sæuissimis ventorum flatibus, naues aliquot ex collisione fractæ, aut fluctibus submersæ fuissent, residuis tumultuariè impletis cum maxima & exercitus & machinarum ac commeatus iactura in Hispaniam mense Nouembri ægrè reuertitur anno 1541.*

Anno 1569. Illustriss. Domina ANNA *Electorissa Saxoniæ, &c. enixa est filium Augustum Ducem Saxoniæ, Augusti Elect. F.*

XXIIII. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. ΦΑΩΦΙ. IX. CAL. NOVEMB.

אַסְרוּ חַג :

Vincite festum, ex Psal. 118. vocant hunc diem Iudæi, quo celebrant conuiuia, & consumunt reliquias festi, quod præcesit.

Hoc die mensis septimi, Iudæi, qui ab exilio Babylonico reuersi fuerant, fœdus nouum fecerunt cum Deo, quòd vellent ipsius legem seruare, idq; iuramento & literis obsignatis Sacerdotum & Leuitarum & Principum populi sigillis confirmarunt. Nehemiæ 9. & 10.

TITVS VESPASIANI FILIVS, post excidium IEROSOLYMORVM *in vrbe maritima Cæsarea, natalem Fratris sui Domitiani celebrans, ludos edidit varij generis magnificentissimo apparatu, in quibus* IVDÆI CAPTIVI *ad tria millia producti in theatrum, partim à bestijs dilaniati sunt, partim armati commissi inter se trucidare coacti sunt, anno Christi 73.*

Moguntiæ obijt ALBERTVS *Marchio Brandeburgensis, Archiepiscopus Magdeburgensis, Elector Moguntinus, Cardinalis, Anno 1545. quatuor mensibus ante obitum Lutheri, ætatis 55.*

Anno 1535 obijt Franciscus Sfortia II. Dux Mediolanensis, quem Carolus V. Imp. bello cum Francisco Galliæ R. annis ferè 8. continuis gesto restituerat, & eidem Elisabethæ sororis filiam Christinam anno superiore elocarat.

XXV. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

VIII. CAL. NOVEMB. ΤΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

FRIDERICVS ALBERTI filius Dux Saxoniæ, Teutonici ordinis præfectus, nascitur intra vndecimam & duodecimam pomeridianam anno Christi 1474. Pulsus à Polonis moritur Rochlicij 1510. die 14. Decemb.

Anno 1531. hora 6. matutina nascitur Antuerpiæ Matthæus VVesenbecius, Iurisconsultus non doctrina solum, sed & pietate atq; virtute præstans.

Chelæ australinæ lucida cum Sole occidit.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. # XXVI. OCTOB.

ΦΑΩΦΙ. VII. CAL. NOVEMB.

C. Asinius Pollio triumphum egit ex Parthis anno vrbis 751.

Olympia Fuluia Morata, Itala nupta Germano Andreæ Grunthero Medico fœmina, cuius pietatem & eruditionem varam scripta ab ipsa confecta testantur, pie ac placide obijt Heidelbergæ, nondum nata annos 29. Christi anno 1555.

Hoc die pie obijt Fridericus Palatinus Rheni Elector Anno Christi CIↃ. IↃ. LXXVI.

Sinister pes ORIONIS mane occidit.

XXVII. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

VI. CAL. NOVEMB. ὑπερβερεταῖος.

ALBERTVS Archidux Austriæ Imperator gener & successor SIGISMVNDI Imp. expeditione contra Turcas suscepta, morte intercipitur, cùm esu peponum in insolito feruentis Augusti æstu, sibi diarrhœam contraxisset, vsus alias in vita fortuna fauentissima simul & fugacissima. Nam intra paucos menses post Imperatoris SIGISMVNDI soceri mortem, ex Duce Austriæ factus est Dux Lucelburgensis, Marchio Morauiæ, Rex Vngariæ, & Boiemiæ, tandem etiam Imperater Rom. Sed ea dignitate functus est non toto biennio, sepultus in Alba regia, Anno Christi 1439.

Anno 1462. sub ipsam noctem MOGVNTIA proditione capta est ab exercitu ADOLPHI comitis Nassaensis, cui post excommunicatum Dietherum Comitem Eisenbergensem Pius II. Pontifex Rom. Archiepiscopatum Moguntinensem concesserat. Causa excommunicationis fuerat, quòd Episcopus Dietherus noluerat Pontifici iurare, suo & successorum nomine, se non conuocaturum Electores ad creationem Imperatoris, nisi consentiente & permittente Pontifice Romano.

Anno 1553. Senatus Gencuensis cremauit Michaelem Seruetum Hispanum, qui Pauli Samosateni blasphemiam pertinaciter defendit, & abijcere impiam sententiam, atq; inuocare in ipso etiam agone Filium Dei Christum recusauit.

XXVIII. OCTOB.

πτανεψιών. V. CAL. NOVEMB.

φαωφί.

SIMON & IVDAS.

Natus creditur Erasmus Roterodamus, Anno 1465.

Anno Christi 252. hoc die CYRILLA crudelissimi persecutoris Christianorum DECII Imperatoris filia, Romæ, propter confessionem Christi, supplicio affecta est.

Anno Christi 1189. HENRICVS Dux Brunsuicensis cognomine LEO, expugnatam vrbem Saxoniæ BARDOVVICK ducentis annis vetustiorem ipsa Roma, vt scribunt, solo æquauit, ex cuius ruderibus Vrbs nunc munitissima Luneburgum extructa est.

LVDOVICVS V. Landtgrauius Turingiæ, Diuæ ELISABETHÆ maritus, nascitur Anno 1200.

Anno 1566 M. IOHANNES FVNCIVS cum alijs duobus consiliarijs Illustrissimi Ducis Borussiæ Alberti Marchionis Brand: Horstio & Schnellio, publice decollatus est, accusatus à statibus Ducatus Borussiaci, quo die vesperi fuit Eclipsis Lunæ vltra 17. puncta obscuratæ.

Anno 1485. Heidelbergæ mortuus est Rodolphus Agricola Frisius, vir clarissimus & doctiss. cum ætatis annos 42. compleuisset.

XXIX. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

II II. CAL. NOVEMB. ὑΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.

P. Sulpitius Sauerrio COS. triumphum egit de Samnitibus anno vrb. 449.

M. ADAMVS CVRÆVS, pastor in inclyta vrbe Vratislauia, placide obijt, Anno Christi 1566. ætatis 40.

Eodem die, & anno Zittardus, Concionator Aulicus Impp. Ferdinandi & Filij Maximiliani II. mortuus scribitur.

XXX. OCTOB.

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ. III. CAL. NOVEMB.

ΦΑΩΦΙ.

IACOBVS STVRMIVS sapientia & vitæ integritate & familiæ splendore clarissimus ciuis Argentoratensis, moritur anno ætatis 63. climacterico nono, anno Christi 1553.

LEODIVM vrbs à CAROLI Burgundiæ ducis exercitu captum, direptum, incensum atq; vastatum est, & sexcenti infantes orbati matribus & nutricibus, in Mosa fluuio submersi sunt, anno 1468.

REINHARDVS SVLTZ Lipsensis I. V. D. natus est anno 1535. dimidia hora ante secundam pomeridianam.

XXXI. OCTOB. תִּשְׁרִי VII.

PRIDIE CAL. NOVEMB. Ὑ ΠΕΡΒΕΡΕΤΑΪΟΣ.

Hoc die, quæ erat Ƀ. *vigilia Omnium Sanctorum publicè proposita, & foribus templi ad Arcem VVITEBERGENSEM affixa est prima disputatio D. MARTINI LVTHERI contra indulgentias, impudentissimis mendacijs ornatas & venditatas à* TECZELIO *Monacho, qua edita paulatim doctrina cœlestis de pœnitentia, & de remissione peccatorum fide accipienda propter filium Dei Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *repurgata & illustrata est, & postea Lux reddita est multis alijs quoq; articulis doctrinæ necessariæ in Ecclesia Dei, anno Christi 1517. Centesimo & altero anno post combustum constantiæ Iohannem Huß, qui cùm damnatus hæreseos abduceretur ad supplicium anno 1415. dixisse fertur ad Episcopos:* POST ANNOS CENTVM RESPONDEBITIS DEO ET MIHI.

VLADISLAVS *Rex Poloniæ* IAGELLONIS *primogenitus, qui in pugna ad Varnam ab Amurathe 2. occisus est, hoc die nascitur anno Christi 1423.*

VVOLFGANGVS *Palatinus Rheni, Ducis* PHILIPPI ELECTORIS *filius nascitur anno 1494.*

VVOLFGANGVS LAZIVS *Viennensis, Artis Medicæ Doctor, &* FERDINANDI *Imp. Rom. Historicus & Consiliarius, Simonis Lazij Medicinæ Doctoris filius, nascitur anno 1514. Min. 24. post tertiam matutinam.*

Anno 1518. Martinus Lutherus VVitebergam redit ex conuentu Augustano, ad quem à Caietano fuerat vocatus.

Anno 1556. Iohannes Sleidanus I. V. L. cuius extat nostri temporis historia luculenter scripta, Argentorati è vita decedit.

Anno 1562. Basianus Landus Placentinus, Medicæ artis professor eximius in schola Patauina cum die ab hoc septimo, à sicario noctè in ædibus suis aliquot vulneribus impetitus esset, vltima Octobris hora 2. noctis expirauit.

NOVEMBER.
מרחשון MAR-
HESVAN.
OCTAVVS.

Dicitur etiam בור מבול *quasi inundatio, à crebris pluuijs, 3. Reg. 6.*

ΔΙΟΣ.

SVIDAS: Δῖος ὄνομα μιὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ νέος.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

Cum hunc Mensem Atticum Plutarchus in Sylla cum Martio, in Arato cum Dæsio, qui Iunio respondet: Macrob. lib. 1. cap. 2. Satur. cum Aprili: Ptolemæus cum Ianuario coniungat lib. 7. pag. 169. cogor dubitare de hoc vnico mense, vtrum rectè sit à Gaza suo loco collocatus.

Mense Anthesterione Athenis celebrata esse ΜΥΣΤΗΡΙΑ τὰ μικρὰ scribit Plutarchus in Demetrio.

Suidas etiam dicit: Ἀνθεστηριὼν ὄγδοος μιός ἐστι παρ' Ἀθηναίοις ἱερὸς Διονύσου, Ἱερὸς δὲ φησὶ κεκλῆσθαι αὐτὸν ὅτι τὰ ἀρχαῖα τῶν ἐκ γῆς αὐδᾶν τότε.

Sic & Varinus: Ἀνθεστήρια τὰ ΔΙΟΝΥΣΙΑ, φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος καλεῖσθαι κοινῶς πᾶν ὅλον ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ, καθ' μέρος δὲ ΠΙΘΟΙΓΙΑ, ΧΟΑΣ ΧΥΤΡΑΝ καὶ ΧΥΤΡΟΥΣ, vide diem 12. huius Mensis.

Idem & Suid: Χύτροι ἑορτὴ ἀθηναίων. Ἐν μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ ἤγοντο ὅτε χύτροι καὶ οἱ χόες.

ΑΘΥΡ.

Pannonius docuit Gallorum MARTIVS *oras:*
Fertilis ELISABETH *cantat Duringia laudes.*

I. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

CALENDAE. ΔΙΟΣ.

OMNIVM SANCTORVM.

M. Fuluius Flaccus triumphum egit de Vulsinienſibus anno vrb. 489.

Cn. Papirio Carbone, & C. Mario Gratidiano Coſ. PONTIVS TELESINVS Samnitum Dux contracto exercitu circiter 40. millium contra Syllam ad portam Collinam dimicauit, quo die Reſp. Romana in ſummo fuit periculo. Anno ante Chriſtum natum 80.

Vir pius, & eruditus, & in miniſterio Euangelij amplius 34. annis fideliter verſatus ERHARTVS SNEPIVS Heilprunenſis, S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor in Academia Ienenſi, tridui morbo fractus, obijt anno 1558.

Dextrum GENV ORIONIS mane occidit.

II. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

IIII. NONAS. ΔΙΟΣ.

C. PLINIVS Secundus, ſcriptor naturalis hiſtoriæ, exploraturus ex propinquo incendium VESVVII montis, quod pridie rupto vertice illius exarſerat, fuligine cinerea & ſulphureo vapore ſuffocatus moritur, anno ætatis ſuæ LVI. climacterico octauo, anno Chriſti LXXXII. altero anno Imperij TITI, qui paucis menſibus poſt, peſtili febri extinctus, Domitiano fratri Imperium reliquit.

ERNESTVS LVDOVICVS Dux Pomeraniæ, Ducis PHILIPPI filius Quartus naſcitur anno 1545. dimidia hora poſt tertiam matutinam.

Poſtridie commiſt prælij cum Sylla, TELESINVS ſemianimis repertus eſt, victoris quam morientis vultum præ ſe ferens potius. Eius caput iuſſu Syllæ abſciſſum circa præneſte geſtatum eſt, vbi Caius Marius adoleſcens obſeſſus, iam deſperatis rebus per cuniculos elabi conatus, à diſpoſitis in ipſum obſeruatoribus interemtus, occubuit. Vell: Patercul.

M. HIERONYMVS BESOLDVS, gener ANDREÆ OSIANDRI, docens Euangelium in Eccleſia Noribergenſi, peſte obijt, anno 1562.

III. NOVEMB. ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

III. NONAS. ΑΘΥΡ.

CONSTANTIVS Imperator CONSTANTINI MAGNI filius, cùm audiuiſſet patruelem ſuum fratrem IVLIANVM Cæſarem, iam à militibus ſuis ob res fœliciter geſtas contra Alemanos, appellatum Auguſtum, cum inſtructiſſimo exercitu venire ad occupãdum Imperium, ex Antiochia, vbi bellum contra Parthos geſſerat, obuiam profectus, ad Mopſucrenem vrbem inter Cilices & Cappadoces apoplexia extinctus eſt anno Chriſti 364. ætatis 45. cùm poſt patrem 25. annis imperaſſet. Tripart. fine lib. 5.

Anno 1414. IOHANNES HVSS venit CONSTANTIAM ad Concilium frequentiſſimum, vbi contra datam fidem publicam 8. die Iulij ſequentis anni crematus eſt.

Deditio vrbis Magdeburgenſis per Comitem ab Heideck miſſum in vrbem à MAVRICIO Duce Saxoniæ Electore, conficitur & confirmatur, Anno 1551. cum obſidio duraſſet vltra annum.

IIII. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

PRIDIE NONAS. ΔΙΟΣ.

Domina AGNE, PHILIPPI Landgrauij Haſſiæ filia, Ducis Saxoniæ MAVRICII ELECTORIS, deinde IOHANNIS FRIDERICI II. Ducis Saxoniæ coniunx, nondum completo ſemeſtri poſt ſecundas nuptias, febri conſumta hoc die placidè obÿit, anno 1555.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. # V. NOVEMB.

ΛΘΥΡ. NONAE.

Sicionÿ celebrabant feſtum ΣΩΤΗΡΙΑ *in honorem ARATI, eò quòd ille hoc die Antheſterionis menſis patriam à triſti ſeruitute regum Macedonicorum in libertatem vindicauerat. Plutarch. in Arato 358. pag.*

Anno 1530. in Flandriæ & Selandiæ mare ruptis alicubi aggeribus inundans, magnam ſtragem edidit hominum & pecudum, & loca latè vaſtauit.

Hoc die ſcribitur Zacharias pater Iohannis Baptiſtæ lapidatus eſſe in templo ad aram, eo quod de nato iam Meſſia teſtimonium perſpicuum edidiſſet.

ΑΝΤΑΡΗΣ Cor SCORPII cum ſole occidit.

VI. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

VIII. IDVS. ΔΙΟΣ.

LEONARDVS.

Hoc die Menſis Marheſuan credunt Iudæi Sedechiæ liberos in conſpectu patris interfectos, & ipſi poſtea oculos effoſſos eſſe.

Dux Saxoniæ MAVRICIVS *per deditionem occupauit Cygneam. Eodem die VViteberga propoſitum eſt à Rectore D. Caſparo Crucigero ſcriptum, quo moniti & iuſſa ſunt Scholaſtici excedere vrbe, periclitatura de obſidione. Anno 1546.*

Vlricus dux VVirtebergenſis, Eberharti F. obijt anno 1550.

ΠΡΟΤΡΥΓΗΤΗΣ cum Sole occidit.
In Baltheo ORIONIS præcedens & ΚΥΩΝ Sirius matutino occidunt.

VII. NOVEMB. ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

VII. IDVS. ΑΘΥΡ.

Anno 1560. mortuus eſt præſtantis ingenij vir PETRVS LOTICHIVS *artis Medicæ Doctor & Profeſſor in Academia Heidelbergenſi, 29. ſeptimanis poſt Domini* PHILIPPI MELANTHONIS *obitum.*

Doctor Cunradus Lagus Iureconſultus & Syndicus Gedanenſis ciuitatis, obijt, Anno 1546. Quo die in caſtris Smalcaldenſium in Sueuia tribus horis poſt Solis occaſum iris conſpecta eſt, die plenilunij.

In Baltheo ORIONIS media & ſequens mane occidunt.

VIII. NOVEMB.

מַרְחֶשְׁוָן VIII.

VI. IDVS.

ΔΙΟΣ.

Natalis PAVLI EBERI, *editi in hanc lucem prima hora mane post medium noctis anno Christi 1511. in oppido Franciæ orientalis* KITTINGA, *cuius longitudo habet gradus 27. & trientem, latitudo 49. & dodrantem.*

Melchior Fendius Medicæ artis Doctor & Professor in Acade. VViteberg. obijt, anno Christi 1564. ætatis suæ 78.

Ab hoc die per quatriduum HYADES matutino occidunt.

Humerus sinister ORIONIS mane occidit.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

ΑΘΥΡ.

IX. NOVEMB.

V. IDVS.

Frons SCORPII cum Sole oritur.

X. NOVEMB.

מַרְחֶשְׁוָן VIII.

IIII. IDVS.

ΔΙΟΣ.

CLADES VARNENSIS.

Pridie MARTINI *anno 1444. Christiani maximam cladem acceperunt ad* VARNAM *oppidum Romaniæ, situm ad Euxinum pontum, quod olim est dictum Dionysopolis, ad quam vrbem pugna commissa, cùm nostri iam superiores essent, quibusdam Episcopis temere aciem nudantibus,* AMVRATHES *suos pedites in loca illorum immisit, & aciem nostram turbauit, vnde miserabilis strages secuta est, in qua circumuentus* REX HVNGARIÆ LADISLAVS *occisus est, vnà cum* IVLIANO *Cardinale legato Pontificis* EVGENII, *qui fuerat Regi autor rumpendi fœderis, quod cum Amurathe paulò antè optimis conditionibus factum fuerat.*

Annis 39. post, hoc est, anno 1483. eodem die hora XI. post meridiem ante mediam noctem, in oppido CHERVSCORVM ISLEBIA NATVS EST D. MARTINVS LVTHERVS *ex honestis parentibus* IOHANNE LVTHERO & MARGARITA, *quorum pio consilio, cum facultates essent mediocres, puer, in quo statim indoles ad literas & virtutem egregia elucebat, primùm in scholam puerilem* ISLEBIANAM, *deinde in Academiam* ERFORDIANAM *missus est.*

Annis 13. post Lutherum eodem die D. BERNHARDVS CIGLERVS *sacræ Theologiæ Doctor natus est in loco vicino vrbis* MYSNÆ.

Iacobus Milichius artis Medicæ Doctor excellens VViteberge obijt Apoplexia Anno 1559.

Anno Christi 1419. Academia ROSTOCHIENSIS *inchoata est à* IOHANNE & ALBERTO *Ducibus Megalburgensis, motis authoritate* IOHANNIS *Suerinensis Episcopi.*

HENRICVS IVNIOR *Dux Brunsuicensis, Ducis* IVLII *pater natus est mane circa nonum minutum post sextam anno 1489. Mortuus 11. Iunij anno 1568. ætatis 79. 12. septimanis completis post obitum Alberti Ducis Borussiæ, quo fuit maior 6. mensibus & 7. diebus.*

PAVLVS III. *Pontifex Rom. obijt anno 1549.*

PLEIADES mane occidunt.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

ΑΘΥΡ.

XI. NOVEMB.

III. IDVS.

MARTINVS

Thuronensis Episcopus, moritur hoc die anno Christi 398. ætatis 81.

PLEIADVM *OCCASVS MATVTINVS HYEMIS INITIVM ET TEMPVS SEMENTIS OLIM ERAT ROMANIS, XLVIII. die post æquinoctium Autumnale. Plin. lib. 18. cap. 25. & 31. Idem lib. 2. cap. 47.*

CAROLVS *Dux* BVRGVNDIÆ *natus est anno 1433.*

ALBERTVS *Dux Saxoniæ* FRIDERICI II. *Electoris filius,* GEORGII & HENRICI *Ducum Saxoniæ pater, nuptias celebrauit in oppido* EGRA *cum* ZDENA *filia* GEORGII BODOBRAT *Regu Bohemici anno 1459.*

ΛΑΜΠΑΔΙΑΣ mane occidit.

XII. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

PRIDIE IDVS. ΔΙΟΣ

Hoc die mensis Ἀνθεστηριῶνος ΔΙΟΝΥΣΙΑ antiquiora, seu, vt Plutarchus vocat in Demetrio, MYSTERIA MINORA celebrabantur Athenis in Templo Bacchi intra vrbem in Limnis, Thucydides lib. 2. vbi enumerans templa Athenarum propinqua arci, inquit: καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσου, ὧ τὰ ἀρχαιότερα ΔΙΟΝΥΣΙΑ τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι, pag. Aldini exemplaris 40. B. Cumq; idem testetur lib. 5. Dionysia vrbana sub finem hyemis & initium veris celebrata esse, iterum suspicior, Ἀνθεστηριῶνα non pertinere ad menses hybernos.

SVID. ΧΟΕΣ ἑορτήτις ἦν παρ' ἀθηναίοις ἀγομένη ἀνθεστηριῶνος δωδεκάτῃ, φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος, ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορτὴν τὴν Διονύσου ἀγομένην, καθ' μέρος δ' ΠΙΘΟΙΓΙΑ καὶ ΧΟΑΣ, καὶ ΧΥΤΡΑΝ. Sic & Varinus.

Hoc die solenni ritu introducta & inchoata est inclyta Academia LIPSENSIS, Colonia PRAGENSIS Academiæ, anno Christi 1409. primo eius Rectore IOHANNE OTTONE MVNSTERBERGIO.

PHILIPPVS PALATINVS Rheni RVPERTI filius, OTTONIS HENRICI frater nascitur anno Christi 1503. quadrante horæ ante sextam vespertinam.

IODOCVS VILICHIVS Resellianus Prutenus artium & Medicinæ Doctor de studijs præclarè meritus, obijt apoplexia, anno Christi 1552. ætatis 51.

Anno 1547. dimidia hora post 7 matutinam, nata est CLAVDIA filia HENRICI II. Regis Galliarum, nupta Duci Lotharingiæ.

Anno 1563. Tiguri moritur Cl. Theologus Petrus Martyr Vermelius Florentinus, ætatis suæ 63.

Anno 1577. conspectus è insolitæ formæ Cometa virtutis Vratislauiæ.

ἈΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. ἈΘΎΡ. # XIII. NOVEMB IDVS.

BRICCIVS EPISCOPVS.

PHILIPPVS LANDGRAVIVS Hassiæ nascitur non procul à castris patris GVILIELMI Landgrauij Hassiæ obsidentis tunc oppidum Palatinatus appellatum CAVB, in bello Bauarico, anno 1504. mane dodrante post quintam.

PHILIPPVS BEROALDVS nascitur Bononiæ anno 1450.

Qu. Fabius Maximus Rullianus II. COS triumphum egit de Etruscis anno vrb. 444.

Cn. Fuluius Max. Centumalus COS. de Samnitibus Etruscisq; anno vrb. 455.

BARNIMVS I. Dux Pomeraniæ citerioris, rebus magnis gestis, obijt in oppido Dam, Anno 1277. sepultus Stetini.

Paulus Fagius Theologus doctiss. & Ebraæ linguæ peritissimus, Londini in Angliæ diem suum obijt, anno Christi 1550, ætatis suæ 45.

Frons SCORPII cum Sole occidit.

XIIII. NOVEMB.

XVIII. CAL. DECEMB.

מַרְחֶשְׁוָן VIII.

ΔΙΟΣ.

Nebulosa in capite ORIONIS matutino occidit.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

XV. NOVEMB.

XVII. CAL. DECEMB.

ΑΘΥΡ.

Mensis VIII. die XV. IEROBOAM, qui à filio SALOMONIS ROBOAM defecerat cum X. tribubus, & peculiare regnum constituerat, cuius sedes postea fuit SAMARIA, quod volebat regnum ISRAEL vocari, id est, iustum & ordinarium illius populi, prohibiturus, ne populus ex Decem tribubus ad solennes festiuitates in lege Dei mandatas, quotannis ter ascenderet Ierosolymam, erexit duos aureos vitulos, vnum in BETHEL, alterum in DAN, & prima sacrificia pro dedicatione nouorum Templorum magnificè fecit, & hunc diem quotannis solenni festo celebrari ab omnibus subditis regni Israël mandauit 3. Reg. 12.

XVI. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

XVI. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

TIBERIVS CÆSAR natus est anno proximo post interfectum CICERONEM, ante Christi natalem annis 39.

D. D. CASPAR CRVCIGER post diuturnos colicos cruciatus, inter quos ipsos tamen difficiles labores sustinuit in vertendis vtilibus scriptis D. MARTINI LVTHERI, hoc die in pia confessione & ardenti inuocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, placida sed immatura morte decessit, Anno 1548. cùm ageret ætatis annum quadragesimum quartum.

Mortua est Maria filia Henrici VIII. Regis Angliæ, coniunx Philippi Regis Hispaniarum. 1558.

Humerus dexter ORIONIS mane occidit.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. # XVII. NOVEM.

ΑΘΥΡ. XV. CAL. DECEMB.

FLAVIVS VESPASIANVS Imperator natus est anno post Christi natalem vndecimo.

TITVS VESPASIANI filius post subactam Iudæam & euersa Ierosolyma, cum exercitu in Syriæ oppidum BERYTVM profectus in hyberna, & patris sui natalem celebrans, aliquot Iudæorum captiuorum millia, sicut ante in natali fratris Domitiani fecerat Cæsareæ, in ludorum spectaculis producta bestijs laceranda obiecit. Iosephus.

VALENTINIANVS prior Imperator, GRATIANI Imp. pater, successor Iouiniani, pius princeps cum Sarmatarum legatos audiuisset impudenter excusantes latrocinia suæ gnetis, ira accensus, & cum magna vocis contentione allocutus legatos apoplexia moritur, anno Christi 381. ætatis 55. Imperij 12. Brigitionæ.

IOHANNES KETZMANNVS M. Iohannis F. ciuis & scriba publicus Reip. Noribergensis, natus est Anno 1526. hora 4 matutina.

XVIII. NOVEM.

XIIII. CAL. DECEMB.

מַרְחֶשְׁוָן VIII.

ΔΙΟΣ.

Chelæ ſeu Libræ Borealis lucida veſperi occidit.

XIX. NOVEMB.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. ΑΘΥΡ.

XIII. CAL. DECEMB.

ELISABETHA

Filia Regis Hungariæ, nupta LVDOVICO LANDGRAVIO DVRINGIÆ, & HASSIÆ, *ſepulta Marpurgi, munificentiſſima in egenos & Chriſti miniſtros, obijt anno 1231. inter ſanctas poſtea relata.*

ALBERTVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS *ob res egregiè geſtas cognominatus* ACHILLES, *naſcitur anno 1414. hora VII. matutina.*

Generoſus Dominus IOHANNES *ab Vngnad Baro in* SONNECK *&c. naſcitur Anno 1496.*

XX. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

XII. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

Iohannes Crato Medicinæ ac Philosophiæ Doctor, Ferdinandi I. & Maximiliani II. Imp. ἰᾶτρος *nascitur Vratislauiæ 1519.*

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. # XXI. NOVEMB.

ΑΘΥΡ. XI. CAL. DECEMB.

LADISLAVS Vngariæ et Boiemiæ Rex, ALBERTI Austriaci Imperatoris posthumus filius ex matre ELISABETHA, filia SIGISMVNDI Imperatoris, dum sponsam expectat CAROLI Francorum Regis filiam, in ipso apparatu nuptiarum Pragæ veneno necatur, in flore iuuentutis & gloriæ culmine, anno ætatis decimo octauo, Anno Christi 1457.

Georgius Dux Saxoniæ oppidum Frisiæ Thamm expugnatum diripit anno 1513.

ΑΝΤΑΡΗΣ Cor SCORPII mane oritur.

XXII. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

X. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

CECILIA.

Anno Christi 604. PHOCAS parricida nefarius, idemq; posteà Pontificatus Romani euector, post MAVRICIVM vnà cum vxore liberisq; interfectum, coronam Imperij rapuit.

IOHANNES comes Nassaensis VVILHELMI senioris in Dillenberg filius secundus nascitur anno 1535 dimidia hora post vndecimam noctis subsecutæ hunc diem.

Dux Saxoniæ MAVRICIVS, Salinas, nemine obstante, occupauit 1546.

VLADISLAVS Hungariæ & Boiemiæ Rex ALBERTI Imp. filius, Pragæ mortuus est, anno ætatis 19. non sine suspicione veneni. Anno 1458.

ALBERTVS SENIOR, Marchio Brandeburgensis FRIDERICI filius, biennio ante electus in MAGISTRVM generalem Borussiæ, anno 1512. hoc die in vrbem Regij montis cum pompa introductus est, cumq; Magistrum egisset annis 13. relicto ordine Teutonicorum militum, eodem die primus dux Borussiæ creatur à SIGISMVNDO Polonorum Rege Auunculo suo. Anno 1525.

M. PAVLVS EBERVS Pauli primogenitus, nascitur VViteberga. Anno 1542.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. XXIII. NOVEM.

ΑΘΥΡ. IX. CAL. DECEMB.

FRANCISCVS Dux LVNEBVRGENSIS Ducum ERNESTI & OTTONIS frater mortuus est die natali suo, quo inchoabat annum ætatis quadragesimum, Anno Christi 1549.

Otto Brunfelsius Medicus & Theologus Bernæ obijt anno Christi 1534.

Vltima AQVAE in ore piscis Marini oritur vespertino.

XXIIII. NOVEM. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

VIII. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

PERSIVS FLACCVS Satyricus Volaterranus mortuus eſt anno ætatis 28. P. Mario. L. Aſinio Gallo. Coſſ. anno Chriſti 64. ſub Nerone.

CAROLVS princeps in Anhalt & Aſcania primogenitus IOHANNIS principis ab Anhalt filius, naſcitur dimidia hora poſt quartam matutinam, Anno 1534.

VDALRICVS ZASIVS Conſtantienſis, celebris Iureconſultus Friburgi Briſgoiæ obijt anno ætatis 74. à Chriſto nato 1535.

Hoc die Anno 1562. MAXIMILIANVS Rex Boiemiæ Archidux Auſtriæ, FERDINANDI Imp. filius, conſentientibus Electorum ſuffragijs vocatus ad ſucceſſionem paternæ dignitatis, publicè ſolenni ritu Francofurti ad Menum renunciatus eſt Rex Romanorum.

AQVILA mane oritur cum Sole.

XXV. NOVEM. ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ.

VII. CAL. DECEMB. ΑΘΥΡ.

CATHARINA.

Poloni Tartaricum exercitum ingenti prælio ſuperarunt in Podolia, Anno 1499.

HYADES hoc triduo oriuntur veſpertino.

XXVI. NOVEM. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

VI. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

CVNRADVS,

Episcopus Constantiensis tempore Ottonis I. Imp. substitutus Notingo Episcopo à Diuo Vlrico Episcopo Augustano, Anno Domini 976.

Ser. Tullus Rex Romanorum, primum triumphum egit de Etruscis, anno vrb. 82.

Illustriss. Domina ELISABETHA, *Ducissa Saxoniæ, Domini* AVGVSTI *Electoris filia, desponsata est* IOHANNI CASIMIRO *Palatino Rheni Domini* FRIDERICI *Electoris filio, Anno 1568.*

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. XXVII. NOVEM.

ΑΘΥΡ. V. CAL. DECEMB.

P. Ventidius Procos. ex Tauro monte & Parthis triumphum egit anno vrb. 716.

RVFFINI POENA.

Cùm victor exercitus, quo THEODOSIVS *Imperator fuerat, vsus contra* EVGENIVM, *qui occidentis imperium inuaserat, post mortem Imperatoris hoc die Constantinopolin rediret,* RVFFINVS *præfectus Imperatoris cum* ARCADIO *Augusto ad salutandas legiones obuiam exercitui profectus, ad portam Vrbis à militibus circundatus & occisus, pœnas luit immanium scelerum, quæ duobus eruditis libris Claudianus Poëta exposuit, vbi furia Megæra de Ruffini malicia ad sorores loquens, inquit:*

Ipsa quidem fateor, vinci, rabidoq; magistram
Præuenit ingenio. Nec plus sermone morabor:
Solus habet scelerum quicquid possedimus omnes.

Anno 1520. PHILIPPVS MELANTHON *celebrauit nuptias cum* CATHARINA CRAPPIN *Hieronymi Crappi Consulis VVitebergensis sorore, quam mortuam XI. die Octobris, anno 1557. versans in colloquio VVormaciæ præmisit ad æternam beatitudinem, cum eam in coniugio annos 37. habuisset, & ex ea 4. liberos, duos filios* GEORGIVM & PHILIPPVM, *duas filias* ANNAM *Sabini, &* MAGDALENAM *Peuceri procreasset.*

ΛΑΜΠΑΔΙΑΣ vesperi oritur.

XXVIII. NOVEM. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

IIII. CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

GEORGIVS CASTRIOTVS DICTVS SCANDERBEGVS Albaniæ in Epiro principatum adeptus est anno 1443. qui præcessit cladem Varnensem, ad quam ne nostris adesse posset auxiliaribus copijs, vt voluerat, prohibitus est à vicino Despota.

Georgius Rekerodus, bellator strenuus & felix, cum abfuisset à patria Thuringia annos 12. reuersus ad suos 1559. anno, hoc die Herleshusij procul Isenacum moritur.

Eodem anno Erasmus Sarcerius Theologus Magdeburgi obijt.

Georgius Maior Norimbergensis, Sacræ theologiæ Doctor pie mortuus Wittenbergæ. Anno 1574, Hora 3 noctis.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ. XXIX. NOVEM.

ΑΘΥΡ. III. CAL. DECEMB.

D. ANDREAS AVRIFABER VRATISLAVIENSIS natus est anno Christi 1513. semisse horæ post secundam pomeridianam.

Anno 899. ARNOLPHVS Imp. LVDOVICI Germanici ex Carolomanno filio nepos, CAROLI MAGNI abnepos, à quo Duces Bauariæ originem suam habent, obijt, sepultus Hodingæ in Bauaria iuxta patrem, cum morbum pedicularem ex Philtro contraxisset.

XXX. NOVEMB. מַרְחֶשְׁוָן VIII.

PRIDIE CAL. DECEMB. ΔΙΟΣ.

ANDREAS.

L. AEmilius Paulus II. Procos. ex Macedonia & Rege Perseo triumphum egit quatriduum anno vrb. 585.

CASIMIRVS Poloniæ Rex IAGELLONIS filius, qui VLADISLAO fratri interfecto in pugna Varnensi succeßit, natus eßt anno 1427. dodrante horæ poßt decimam circa meridiem.

MAXIMILIANVS Rex Boiemiæ, Archidux Auſtriæ, Francoforti in præſentia patris FERDINANDI Imperatoris & Electorum ſeptimo die poßt publicam renunciationem coronatus eßt in Regem Romanum, Anno 1562.

Anno 1526. Georgius Fronſpergius bellator longe clariß. & Germanicorum cohortium ductor, Italicum exercitum, cui præerat Iohannes Medices, in agro Mantuano profligauit.

DECEMBER.

בסליו Cisleu.

NONVS.

Hos duos Menſes coniungit Ioſephus aliquotſes.

ΑΠΙΛΛΑΙΟΣ.

SVIDAS: Ἀπιλλαῖος πιρὸ Μακεδόσιν ὁ Δεκέμβριος μιύ.

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ.

SVIDAS: Ποσιδεὼν μιὺ παρ' ἀθιναίοις ὅπω καλέμιθος ὁ Δεκέμβριος.

XOIAK.

Poßt caßti ſacra NICOLEI longißima nox eßt,
Fauſta dies celebrat tibi CHRISTVM virgine natum.

I. DECEMB. כִּסְלֵיו IX.

CALENDAE DECEMB. ἈΠΙΑΛΑΪΟΣ.

Anno 1521. LEO X. Pontifex Rom. ex MEDICEA familia, obijt, sub cuius Pontificatu D. MARTINVS LVTHERVS contra indulgentiarum impudentissimas nondinationes disputare & scribere cepit.

Anno 1560. quo & socer Dominus PHILIPPVS MELANTHON mortuus est, obijt excellens Poëta Doctor GEORGIVS SABINVS Brandeburgensis Francoforti ad Oderam, anno ætatis 55.

MELCHIOR KLING I.V.D. nascitur ad Rhenum anno 1504. triente horæ ante 9. paulo ante meridiem. Moritur anno 1571. mense Martio.

D Iohan. Oecolampadius Theologus trium linguarum peritissimus, Basileæ obijt in confessione filij Dei anno 1531 ætatis 49.

ΠΟΤΕΙΔΕΩΝ. # II. DECEMB.

ΧΟΙΑΚ. IIII. NONAS.

Tertio die Triumphi, quem L. AEmilius Paulus de Macedonia subacta egit, anno vrbis 585. paruuli liberi Regis PERSEI duo masculi PHILIPPVS & ALEXANDER, & vna puellula, captiui, habitu seruili in vrbem Romam introducti sant, & post ipsos pater eorum Perseus Rex Macedonum potentissimus, vinctus incessit, pulla veste amictus, vbi perductus in Capitolium, & inde in fœdum carcerem detrusus, mortuus est paulò post ipse & filia, & filius Philippus. Sed alter filiorum Alexander postea literas Romanorum discens, scriba publicus factus est Romæ. Fuit autem hæc calamitas pœna parricidij. Nam hic Perseus cupiditate regni incensus, fratrem Demetrium præstantem iuuenem, quem insidijs tollere non potuerat, falsis criminationibus apud patrem Philippum tamdiu accusauit, donec pater ad extremum deceptus falsis literis, innoxium iuuenem mandauit interfici, ac non multò post, hoc est, anno vrb. 575. palam facta filij occisi innocentia & superstitis impietate, ipse quoq; pater doloribus animi confectus cum diris in filium Persea imprecationibus extinctus est, quas non fuisse irritas, hic tristes euentus docuit.

Anno 1538. die 2. Decembris, dimidia hora post sextam vespertinam, natus est SIGISMVNDVS Marchio Brandeburgensis, Ioachimi II. Electoris filius, Archiepiscopus Magdeburgensis &c.

III. DECEMB.

בְּטֵלְיוֹ IX.

III. NONAS. ἈΠΙΑΛΑΙΟΣ.

LOTHARIVS SAXO Imperator, GEBHARDI Supplinburgij Comitis filius, virtute, iuſticia, & ſtudio amoreq; literarum laudatiſs. princeps, obijt anno 1137.

Inclytus Dux Pomeraniæ BARNIMVS ſenior, naſcitur in vigilia S. Barbaræ anno 1501. quadrante horæ poſt octauam antemeridianam.

Reuerendus Dominus L. NICOLAVS AMSDORFIVS naſcitur anno Chriſti 1483.

IVSTVS IONAS I. V. Doctor Iuſti Ionæ Doctoris Theologiæ filius, naſcitur mane hora 4. Anno 1525. decollatus Haſniæ, Anno 1567. die 28. Iunij.

IIII. DECEMB.

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ. PRIDIE NONAS.

ΧΟΙΑΚ.

BARBARA.

PERSIVS FLACCVS Satyricus naſcitur Volaterris Hetruriæ vrbe anno poſt Chriſtum natum 36.

M. PETRVS KETZMANNVS Noribergenſis, paſtor Eccleſiæ Ambergenſis, natus eſt anno 1521. hora 5. Veſpertina.

Anno 1568. ♄ ante 2. Dominicam Aduentus, Dominus IOHANNES SCHNEIDEVVEIN I. V. D. Zerueſtæ obijt apoplexia completurus 20. die huius menſis, annum ætatis 51. natus anno 1517.

Anno 1460. Guarinus Veronenſis, Latinæ & Græcæ linguæ peritiſſimus obijt Ferrariæ.

V. DECEMB.

כסלויו IX.

NONAE DECEMB.

ΑΠΙΛΛΑΙΟΣ.

FAVNALIA.

Fauni sacra à rusticis celebrata, Horatius lib. 3. Carm: ad Faunum:

Cùm tibi Nonæ redeunt decembres
Festus in pratis vacat otioso,
Cum boue pagus.

Hoc die detecta est CATILINÆ *coniuratio, &* CICERONIS *prudentia fœda patriæ vastatio & mutatio Reipublicæ auersa est, Anno ab vrbe condita 691.*

FRANCISCVS II. *Rex Franciæ, Henrici II. Regis ex Medicea Florentina primogenitus & successor,* FRANCISCI *primi nepos, ex apostemate cerebri mortuus est Anno 1560.*

VVILIBALDVS BIRCKHAMERVS, *patricius Noribergensis, vir excellens eruditione, natus est anno 1470.*

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ.

VI. DECEMB.

VIII. IDVS.

ΧΟΙΑΚ.

NICOLAVS.

Anno 1561. circa horam noctis decimam Inclytus & pius Princeps IOACHIMVS *Princeps in Anhalt & Ascania &c. obijt.*

Anno 1532. horâ fere prima noctis, natus est NICOLAVS SELNECCERVS, *Theologiæ D. in oppido Hersbruk.*

Anno 1504. natus est Dominus DANIEL GRÆSERVS *pastor Ecclesiæ Dresdensis, in oppido comitatus Nassauensis VVeilburg.*

Anno 1370. moritur Rodolphus II. ex familia Anhaldina vndecimus Saxoniæ Elector, qui VVitebergæ templum Cathedrale fundauit.

VII. DECEMB. בְּטֵבֵת IX.

VII. IDVS. ΑΠΙΛΑΙΟΣ.

ALBERTVS CRANTZ S. Theologiæ & Decretorum Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus & Lector mortuus est anno Christi 1517.

Diuus AMBROSIVS hoc die Mediolani voce pueri præbente occasionem, consensu populi in Episcopum electus est, cum fuisset vrbis præses, Anno Christi 370.

ΠΡΟΚΥΩΝ Antecanis matutino occidit.

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ. VIII. DECEMB.

ΧΟΙΑΚ. VI. IDVS.

HORATIVS FLACCVS Poëta Lyricus & Satyricus nascitur Aurelio Cotta & Manlio Torquato COSS.

OTTHO II. Imperator, Otthonis primi filius, tertij pater, cognominatus à Saracenis Pallida mors, dum nimis incautè Græcos & Saracenos persequitur, sagitta venenata ictus, & Romam perductus, ibidem moritur, & sepelitur in aditu templi Diui Petri in Vaticano, anno Christi 983. cuius sepulchrum marmoreum nunc est cloaca mendicorum. Otthonis huius mater ADELHEID eodem die anni sequentis 984. mortua est Ticini apud Insubres.

FRIDERICVS BERNBECK, studiorum meorum causa & socius à primis pueritiæ annis, nascitur, anno Christi 1511. viginti minutis ante secundam horam matutinam, in oppido Franciæ KITTINGA. Mortuus 20. Iunij Anno 1570.

D. IOHANNES FORSTERVS Augustanus S. Theologiæ Doctor, & Ebraicæ linguæ Professor in Academia VViteber. in Christi inuocatione placide obdormijt, Anno 1556.

IX. DECEMB.

כסלו IX.

V. IDVS. ΑΠΙΛΛΑΙΟΣ.

FRIDERICVS PALATINVS Rheni Elector nascitur anno 1482. hora ferè quarta matutina.

SIGISMVNDVS CAROLI IIII. filius, Vuenceslai ignaui frater, Marchio Brandeburgensis, postea Rex Boiemiæ & Vngariæ, postremo Imperator Romanus factus, Princeps animi & corporis dotibus præstans, sed infœlix bellator, agens annum ætatis septuagesimum, hoc die placide decessit in Morauiæ vrbe Znoyma, cum iussisset se ægrum ex Boiemia in Vngariam transferri, metuens ne post mortem à Boiemis violarentur Vngari, quos in suo comitatu habuit et dilexit, Anno Christi 1437. Imperij 27. Regni Vngariæ 51. Boiemiæ 17. sepultus in templo Varadinensi.

X. DECEMB.

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ. IIII. IDVS.

ΧΟΙΑΚ.

Anno 537. BELLISARIVS egregius bellator à IVSTINIANO Imp. missus in Italiam contra Gothos, hoc die Romam noctu ingressus profligato præsidio Gothorum, quod ibi VVitichus reliquerat, vrbem recuperat.

HERMANNVS Dux Sueuiæ obijt sine hæredibus anno 949. cuius ditionem accepit gener LVDOLPHVS Dux Sax. OTTONIS primi filius.

D. Martinus Lutherus Academia multisq; alijs spectantibus, libros pontificij Iuris combussit VViteberga extra portam Elstra, cum hac imprecatione: Quoniam sanctum DOMINI contristasti, contristet ac deuoret te ignis æternus, Anno 1520.

Anno 1569. Reuerendus & cl. V. D. PAVLVS EBERVS Theologiæ Doctor & Ecclesiæ VViteberg. pastor, in pia filij Dei inuocatione, & confessione, placide obdormiuit, tertio quadrante horæ ante decimam prandij.

Caput GEMINI præcedentis vesperi oritur.
ΠΡΟΠΟΡΣ mane occidit.

XI. DECEMB. IX. כסלויו

III. IDVS. ΑΠΙΑΛΑΙΟΣ.

HENRICVS SVDPHANIENSIS, auditor LVTHERI primum in Philosophia, postea & in doctrina Euangelij, excellens ingenio, eruditione, virtute, & sanctitate vitæ, qui cùm Euangelium Bremæ summa fide biennium docuisset, & rogatus esset à vicinis, vt apud ipsos quoq; semina Euangelij spargeret, insidijs Monachorum & Tyranni Officialis Bremensis interceptus, crudelissimè interfectus est in DIETMARIA, inter bidui cruciatus constantiam fidei vera inuocatione filij Dei, & assiduæ confessione ostendens, Anno Christi 1524.

XII. DECEMB.

ΠΟΣΕΙΔΕΩΝ. PRIDIE IDVS.

ΧΟΙΑΚ.

FRIDERICVS MARCHIO BRANDEBVRGENSIS, filius IOACHIMI II. Electoris ex Magdalena filia Georgij Ducis Saxoniæ nascitur BERLINI anno 1530. dodrante horæ post sextam matutinam. Cumq; esset factus Archiepiscopus Magdeburgensis, Anno 1547. mortuus est Mense Nouembri, Anni 1552. cui succesit frater SIGISMVNDVS.

Doctor ANDREAS AVRIFABER, medicus Ducis Borussiæ, mortuus est apoplexia, anno 1559.

Iohannes Rantzouius eques auratus, Pater Henrici & Pauli &c. cuius virtus fidesq; domi & militiæ cognita probataq; fuit tribus Daniæ Regibus, Friderico I. Christiano III. & Friderico II. apud quos summus belli Dux fuit, hoc die moritur, anno Christi 1565. cum vixisset annos 73. mensem vnum.

Ioachimus de Noua domo, eques aurei velleris, Regni Bohemiæ Cancellarius, Pontificiæ doctrinæ assertor, ad Viennam rupto pontis iugo ipse cum curru & equis delapsus, in Danubio perijt anno 1565.

ΠΑΚΚΑΜΟΣ, Coma Berenices cum Sole occidit.

XIII. DECEMB. כסלי IX.

IDVS. DECEMB. ΑΠΙΑΛΑΙΟΣ.

LVCIA.

C. Fabricius Luscinus II. COS. de Lucanis, Brutijs, Tarentinis, Samnitibus triumphum egit anno vrb. 475.

Qu. Pedius ex Hispania, anno vrb. 711.

ERICVS Rex SVECIÆ, Gostaui Regù Sueciæ filius primogenitus natus est minutis sex ante nonam pomeridianam, Anno 1533. in regia vrbe Oplandiæ Stocholmia, cuius latitudo est 59. graduum 18. Minu. Longitudo 47. Grad.

